44-46

TRIPLEX
BIBLICO-CRITICA
DEMONSTRATIO.

TRIPLEX
BIBLICO-CRITICA
DEMONSTRATIO

In qua BIBLIA SACRA Vulgatæ Editionis Sixti V. juſſu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita non vitioſa demonſtratur, adeout ſit probatu difficile, vel unicum mendum in ea reperiri correctione dignum

ADVERSUS

NEOTERICOS CRITICOS HETERODOXOS

Dignitatem ejus fruſtra inſectantes elucubrata

A REV. P.

F. BONAVENTURA A MAGDALONO

Lectore Emerito PP. Reformatorum S. FRANCISCI Provinciæ Neapolis.

VENETIIS, MDCCLX.

APUD FRANCISCUM STORTI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Quia propria quis auctoritate uti non poteſt ad victoriam verba legis adulterat, ut ſenſum ſuum quaſi verba legis aſſerat; Ambroſius Comment. in Caput V. ad Roman. Tom. III. column. 271. H.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

D. D. HIERONYMO

SS. COSMÆ ET DAMIANI CARDINALI DIACONO

COLUMNA

S. R. E. Camerario, Sacroſanctæ Liberianæ Baſilicæ Archipreſbytero, pro Sacra Religione Hieroſolymitana Magno in Alma Urbe Priori, ac Seraphici Ordinis S. Franciſci Protectori Vigilantiſſimo.

FRATER BONAVENTURA a Magdalono Min. Ref. F.

QUod haſce dogmatico-polemicas elucubrationes meas utcunque digeſtas, Clientelæ, ac auſpicatiſſimo, Patrocinio Tuo conſecratas ſummopere concupiverim, Princeps Eminentiſſime, in cauſſa potiſſimùm fuit arduum ſane argumentum, ac perdifficile, quo pro mea virili probandum ſuſcipio: In ſacra Biblia Vulgatæ Editionis juſſu Sixti V. recognita, & Cle-

me n-

mentis VIII. auctoritate edita, nullum penitus, tam antiqui Interpretis, quàm Sapientissimorum Romanorum PP. qui ejusdem emendationi summis laboribus & curis incubuerunt mendum reperiri, quod jure meritoque possit & debeat censoria virga coargui, vel nigro calculo reprobari. Enim verò neminem latere potest, qui vel a limine, vel extremis, ut ajunt, labiis id generis studia salutaverit, quàm gravis periculi plena sit alea, proprium in hac controversia judicium proferre, tot adversus infensissimos hostes, qui venerandam antiquitatem nauci floccique pendentes intemperantioris Critices fallacissimos Canones sectantes, & Orientalium linguarum peritia sibi immodice blandientes, nec Vulgatam correctam preferre, aut etiam coæquare primigeniis hodiernis Textibus Hebraici Veteris Testamenti, Grecique Novi perperam contendunt, atque ut eminentioris Doctrinæ plausum & commendationem extorqueant, in illud tandem temeritatis, ac dementiæ prolapsi sunt, ut novas peregrinasque Neotericorum doctrinas, seu potius deliramenta pro aris focisque propugnent, nil pensi habentes falsas & periculosas consecutiones, quæ ex hisce turbidis & lutulentis fontibus profluunt, quæque atrox bellum, & intestinum excitant adversus Catholicam Religionem. Has profectò spurias & adulterinas merces, nedum expansis ulnis excepit Pseudo-Episcopus Anglus Brianus VValtonus Vir ceteroquin impense doctus, cui etiam adstipulati sunt alii quamplures id furfuris morosi Censores in Religionis negotio apprime suspecti, sed novis insuper adhibitis diligentiis ac curis adornavit non alia plane (ni me omnia fallant) intentione & consilio, nisi ut simplicioribus fucum faceret, & antiquam genuinamque Ecclesiæ Doctrinam loco moveret atque pro-

scin-

ſcinderet. Quæ cùm ita ſint nemo non videt quibus ſyrtibus ac ſcopulis metuendis ſane, & extremum naufragium minitantibus ſe exponat quicumque ſane vir utut Eruditus & Doctus (in quorum cenſum abſit ut nomen meum accenſeri preſumam) qui ad hanc ſpartam ornandam ac Vulgatam Editionem ſartam tectamque tuendam, in arenam deſcendere cogitat cum Adverſariis adeo moleſtis & ſubdolis, quorum indoles & ſtudia ſunt inter ſe intimo adeo nexu colligata, ut ſi illorum quempiam in jus traxeris ac ineluctabilium rationum pondere deviceris, de repente inſurgunt alii, qui novis excogitatis cavillationibus & figmentis acriora excitant litterarum certamina, ut apertiſſimæ veritati erroris tenebras offundant. Nemo itaque mihi vel præfidentis audaciæ, vel inconſultæ temeritatis notam inurere jure & merito poterit ſi ferventi deſiderio abreptus tuendi, Vulgatam veterem priſtino ſuo decori a S. Sede feliciter reſtitutam, tenuitate mea omnino diffiſus, in Amplitudine Tua firmiſſimum Patrocinium quæſiverim: Ea enim præditus es Excelſi animi magnitudine, ea polles authoritate, viribus, & potentia, ut facillimo negotio mihi non minus quàm pio ac perutili argumento, quod enucleandum ſuſcepi, firmiſſimam opem ac auxilium præſtare queas, ita ut & linguam comprimere, calamum ſiſtere & penitus obmuteſcere cogantur Chriſtianæ Religionis Oſores, qui evaneſcentes in cogitationibus ſuis nodum in ſcirpo quærunt, ſibique adeo adblandiuntur ac ſi ex Democriti puteo altius immerſam veritatem extraſcerint, quum nonniſi turbidas aquas venditent ex diſſipatis Ciſternis hauſtas, ſaluberrimis undis relictis quæ ad illuminandum omnem hominem ex limpidiſſimis fontibus Salvatoris iugiter & indeſinenter

erum-

erumpunt. Facessent profectò hæc delirantium somnia, dum opellam hanc meam, quam ad eorum incoherentes opiniones & novitates præfocandas, ea qua potui diligentia ac studio adlaborare conatus sum, dicatam intuebuntur Amplitudini Tuæ, cujus prudentia, Christiana pietas, bonarum artium studia, ac in Religionis negotio subactum ingenium, apud cordatos omnes Sapientesque Viros illam præ cæteris æstimationem pepererunt, ut asserta illa, ac Dogmata a veritatis tramite nec latum unguem deflectant quæ semel fuerint tuo calculo comprobata. Hæc sane preclarissimi animi Tui insignes dotes effusam adeo Tibi comparaverunt præconiorum segetem, & plenissimam commendationem, ut nedum inter Purpuratos PP. bonorum omnium exultatione & plausu fueris cooptatus, & S. R. Ecclesiæ Camerarii sublimissimo honore insignitus, sed & Apostolici Palatii summæ Archipræfecturæ Prepositus, ejusmodi munus ea prudentia, dexteritate, ac fidelitate gessisti, ut in deliciis fueris Benedicti XIV. Pontificis vere Optimi, & Maximi, qui in Te uno excernando, summisque beneficiis pro merito cumulando studium ac propensionem tenerrimam palam effecerit: cui qua gratitudine & pietate Maximo Principe digna responderis, ut innumera alia prætercam, obsequentissimi non minus quàm gratissimi animi Tui argumenta, eminet pietas illa vere singularis, quam nulla unquam delebit oblivio, quæque nedum almam hanc Urbem, sed finitimas quasque remotasque regiones in admirationem traxit: pietas illa inquam qua gravissimo, ac diutino morbo decumbenti Pontifici vere optimo, Tuique amantissimo, præsentissimam opem præstabas, ejus lectulo diu, noctuque assidebas, ægrotantis necessitatibus mira charitate consulebas, intimo cor-

dis

dis affectu compatiebaris, sevæ ægritudinis angoribus & molestiis, quibus Sanctissimus Pontifex excruciabatur, nec ab ejus conspectu pedem retraxeris vel avelli passus es, quoadusque almus ejusdem Spiritus humanarum vicissitudinum pertæsus ad superos evolavit æterna felicitate beandus. Plurima alia eaque præsentissima menti meæ occurrunt Eminentiæ Tuæ ornamenta numquam satis æquo laudum præconio celebranda, at orationis filum abrumpere, calamum sistere linguamque comprimere me utut reluctantem & invitum, cogit admirabilis illa, ac insignis humilitas, qua ab eo tempore, quo opusculum hocce meum sub Tuo Patrocinio dignatus es benigne suscipere, hoc mihi tam singulare & splendidum beneficium illa inviolabili lege contulisti, ut in nuncupatoria oratione toti operi præfigenda in virtutum Tuarum laudes nullatenus descenderem, ac eximia merita Tua jejunis omnino labiis præterirem. Cui gravissimo mandato ut morem geram, nec a voluntatis tuæ imperiis latum unguem deflectam, nedum innumeras alias silentio involvam egregias dotes, quæ celsissimum animum Tuum mirifice illustrant ac exornant, sed illas pariter missas faciam immortales laudes, quæ hæreditario jure a Gloriosissimis Prædecessoribus Tuis nusquam interrupto temporum ac Seculorum decursu in Te derivarunt. Quis enim usque adeo facundus, & Doctus, qui brevi Oratione complecti, ac pro merito celebrare ausit Heroum Columnensium præclarissima facinora, eorum terra, marique bellicam, & invictam fortitudinem, immortales Triumphos, & splendidissimas Victorias, in rebus gerendis miram dexteritatem, ac admirabilem prudentiam, in subditis imperio regendis plusquam paternam mansuetudinem, & pietatem, summas ab ipsis dignitates

 non

non minus Ecclesiasticas, quàm Seculares omnium commendatione & laude comparatus, in Religionis negotiis promovendis zelum incomparabilem, ad populorum publicam felicitatem augendam solertiam indicibilem, aliaque insignia cedroque dignissima gesta omnium ore celebrata, ac non minus amplis voluminibus Poetarum laudibus, sed etiam Historicorum memoriis a remotioribus usque Seculis venerandæ antiquitati ac seris posteris consignata? Hæc tamen omnia, utut splendidissima sint ac omnem penitus laudem & admirationem exsuperent, id unum tamen imperterrito calamo verissime adfirmabo: Te Majorum Columnensium celsitudinem non tantùm æquare, sed & latius extendere, eorum opulentiam, Dignitates, Principatus, Dominia, ceteraque spectabilia rerum imperia, meritis Tuis & Dignitatibus augere, amplius magnificare, novisque coruscantibus radiis splendidiorem lucem longe, lateque diffundere. Accedit & altera ratio eaque urgens sane, ac gravissima, quæ in animo meo ardens desiderium excitavit Nomini Tuo immortali consecrandi hoc qualecumque opusculum meum, mole quidem exiguum, sed rerum pondere non omnino spernendum: jus videlicet Patrium: sum enim & ego oriundus & progenitus Matalunensium Gente, quam effusis adeo beneficiis cumularunt Excelsæ Columnenses Heroinæ Theresia Carola & Anna Maria, affines Tuæ dilectissimæ, Carolo Carafa ejusque primogenito Martio Dominico præclarissimis Magdalonensium Ducibus desponsatæ, ut jure meritoque ex hoc pariter titulo, quod Matalunii ortum traxerim, gratiam Tuam ineundi mihi spes certa refulgeat; adeo siquidem erga Matalunenses omnes Columnensium Principum beneficentia propendet, ut qui in eodem solo vitales auras sortiti

sunt

sunt, de Columnensium pariter Heroum munificentia congaudeant. Extat enim in eadem Civitate, ac in dies novis pietatis & splendoris augmentis magis, ac magis excrescit Nobilium Virginum Cœnobium, expensis, studio, ac curis Exc. Theresiæ extructum; refulget pariter alterum insigne Sacellum B. V. Lauretanæ dicatum, ac ab eadem a fundamentis erectum; & prætermissis aliis pietatis ac munificentiæ perpetuis monumentis, quibus Mulier hæc fortis ac omnium Seculorum preconio dignissima Magdalonenses Cives ingentibus beneficiis cumulavit, id unum de altera Celsissima Heroina germana sorore tua Anna Maria adjiciam: insignium virtutum Theresiæ ut perfectissimam imaginem preseferret, eadem penitus sollicitudine ac liberalitate sui status Ecclesiis, Monasteriis, aliisque piis locis effusissimas eleemosinas largita est, subditorum omnium necessitatibus plusquam materna benevolentia consuluit, pauperibus debitoribus liberaliter pepercit, afflictis, Viduis, pupillis, puellisque periclitantibus necessaria suppeditavit, quæ ad earum victum, & indumenta visa sunt opportuna. Quidni ergo quum Magdalonenses omnes Columnensium Principum munificentia, summisque beneficiis mirifice auctos aspiciam, & mihi pariter, qui ejusdem gentis sum, & originis ab Eminentia Tua repromittere valeam eamdem animi propensionem, Benignitatem, ac Generositatem?

Tertium addam idque omnium præcipuum spei, ac fiduciæ meæ argumentum, quo mirum in modum excitatus ad Patrocinium & Clientelam Tuam lætus ac gloriabundus confugere non dubitavi, ex eo, quod magna mea felicitate Seraphico illi Minorum Instituto, vel a teneris annis nomen dederim, cujus Protectionem, Gubernium atque Præsidium, quum vigilantiæ Tuæ commi-

sit ter Opt. & Max. Pontifex Bened. XIV. gratulati sunt omnes Sancti Francisci Filii, ac effusissimis gaudiis & exultatione repleti hanc etiamnum sortem sibi speciali Supernæ Providentiæ beneficio, ac Seraphici Patriarchæ protectione collatam grati, ac venerabundi agnoscunt. Siquidem omnium animis dulci recordatione obversantur insignia pietatis officia, quibus ab initio nascentis Ordinis ad nostra usque hæc tempora Gloriosissima Columnensium Familia Minorum Religionem est prosequuta; quæ omnia si vellem pro merito recensere, me vox plane diesque deficeret. Ne autem tam insignia beneficia, nulla unquam temporum, aut Sæculorum decursu e cordibus nostris obliteranda, jejunis omnino labiis præteream in gratissimi animi nostri perenne monumentum ex plurimis de Minorum Ordine optime meritis in medium proferam eximium illud Romanorum Senatorem Joannem Columnam cujus tam mirificus erga B. Franciscum, filiosque suos amor exarserat ac devotio, ut in vestibulo Aracælitani Conventus musivum opus fieri curaverit, quo Imaginem suam per manus Seraphici Patriarchæ ante conspectum dilecti Christi Discipuli, Cæli Reginæ, ac Servatoris nostri Jesu præsentari anhelabat, quod sane monumentum non minus artificis industria, sed etiam antiquitate venerandum cum fel. record. Eminentiss. Cardinalis Columna Hieronymus anno 1652. restaurari & in magnificas Columnensium Ædes transferri curaverit, Eminentia Tua in privati & Domestici Sacelli ambitu collocavit, ut Columnensium Principum devotionis memoria erga pauperimum Minoriticum Ordinem nullo unquam tempore deperiret. Non minori erga Franciscanæ Religionis alumnos charitate, & benevolentia flagravit B. Margarita Columnensis Heroi-

na

na Sanctitatis fama percelebris, cujus erga Minoritas miserationis affectus eò pervenit, ut in Arcis Zagarolæ Conventu Religiosis ægrotantibus propriis manibus ac ancillarum Ministerio, admirandæ penitus humilitate, ac cordis mansuetudine deservire non dubitaverit, quoadusque ad unum omnes convaluerint (a.) *Tam insignis pietatis vestigia pressit Eminentissimus Cardinalis Petrus Columna, qui in imminentis naufragii periculo constitutus Beatissimam Aracælitanam Virginem in subsidium invocans stetit extemplo procellarum spiritus, ac eamdem Dei Matrem visibili forma conspexit, se suosque a sævis undis, mortisque faucibus misericorditer eruentem.* (b.) *Annon Religiosa pax & tranquillitas, qua jam a tribus retro Sæculis perfruuntur Aracælitani Cœnobii Incolæ adscribenda est Martino V. Columnensi Pontifici, qui difficillimis Ecclesiæ temporibus in Constantiensi Concilio ad Summi Pontificatus apicem evectus, etsi adpræfocandum teterrimum schisma, quod per 50. circiter annos Orientalem Christi Ecclesiam in varias partes diviserat, zelum admirabilem & Apostolicas sollicitudines & curas impenderit, eousque tamen gravissimorum negotiorum pondere ejus animus distrahi passus non est, quin pauperum Franciscanorum necessitatibus paterna charitate ac Apostolica miseratione prospiceret* (c.) *Cujus ne profusissimæ munificentiæ in acceptis referenda sit percelebris columna argentea, quæ in solemnioribus anni diebus in Ara Maxima ejusdem Aracælitanæ Ecclesiæ refulget juxta B. V. imaginem signis & miraculis clarissimam D. Lucæ, ut creditur, manu delineatam, nisi eximiæ pietati Excellentissimi Columnensis Principis Marci Antonii Columnæ* (d.)*? Sed quidplura commemorem, eousque processit Prædecessorum Tuorum*

erga

erga Franciscanam Familiam amor, pietas & devotio, ut eorum aliqui sæculi pompis opulentiis, sublimissimis honoribus ac dignitatibus nuntium remiserint, ut humilem & abjectam Franciscanorum vivendi normam amplecterentur. Sic Seculo XIV.; referente Viro Clarissimo P. Luca VVadingo (e.) *floruerunt in Aracælitana Æde plures ex Columnensium Progenie Viri, Sanctitatis & Doctrinæ fama conspicui, quos inter eminuit Fr. Bernardus Columna in divinitate Magister, qui Provinciam Romanam aliquot annis prudenter gubernavit; atque* sub hoc tempus (*ut verbis utar ejusdem VVadinghi* (f.) multæ Nobiles Hæroinæ Sanctæ Claræ nomen dederunt, atque inter has non paucæ ex Nobilissima & Primaria Familia Romana Columnensium in Monasterio S. Silvestri de Urbe, quod ab ipsis exordiis, quibus Clarissis traditum est, & Corpore B. Margaritæ Columnæ decoratum, perpetuum fuit seminarium Nobilium Virginum hujus Illustrissimæ Gentis. *Verum enim verò, ne a remotioribns Seculis Columnensium Principum erga Minoriticum Ordinem profusam liberalitatem, benevolentiam, & pietatem in memoriam revocem, nostris etiam temporibus præsentissimam probavimus munificentiam erga Minoritas Incolas inclyti Cænobii S. Francisci ad Ripas Excellentissimi Germani Tui Principis Fabricii Magni Comest. apud S. Sedem utriusque Regni Siciliæ, ac Zephyrinæ Salviatæ ejus lectissimæ Conjugis, quorum magnificas profusiones, amplas eleemosinas, tenerrimam devotionem & benignitatem nemo unus est inter Nostrates Religiosos, qui ignoret, ac pro modulo suo debitis gratitudinis, ac gratiarum laudibus celebrare non satagat. Porro cum tot tamque insignia, ac præclarissima*

ma

ma sint beneficia a Gloriosissimis Prædecessoribus Tuis Ordini nostro collata, Tu tamen Unus es, Mæcenas Amplissime, qui nedum eorum pietatem, & munificentiam æmulari non desinis, sed novis continuis gratiis, ac favoribus Franciscanam familiam cumulando excellere, ac superare contendis. Ex quo enim pauperrimæ totius Franciscanorum Familiæ apud Apostolicam Sedem regimen, ac gubernium suscepisti, quo zelo, ac pietatis affectu commissum Tibi Gregem gubernaveris, qua sollicitudine nostris necessitatibus consulueris, qua vigilantia ac animi fortitudine jura, ac privilegia nostra fueris tutatus, quas largitiones sane magnificas contuleris, & præcipue in Trastiberina P. Francisci Ecclesia splendido apparatu ornanda bis singulis annis occurrente Augustissimi Altaris Sacramenti circulari horario, quam benignitatem, mansuetudinem, amænissimi vultus hilaritatem, & propensionem omnibus pauperibus Franciscanis exhibeas, qui ad Eminentiam Tuam tanquam ad suum amantissimum Gubernatorem, Magistrum & Patrem in urgentioribus necessitatibus recurrunt, non ego is profectò sum tam disertus, & doctus qui eximias hasce & præclarissimas Animi Tui dotes valeam pro merito percensere. Ut autem, unde paulum digressa est, revertatur oratio, habes Eminentiss. Princeps sub oculis præsentissimam animi mei sententiam, qua mihi ipsi de felici exitu congratulans hasce dissertationes immortali Nomini Tuo consecraverim. Frendeant ergo virusque evomant ac oblatrent recentiores Hæretici, & quisquis pro germana adoptat VValtonianam hypothesim: Te Patrono, Te Mecenate, haud pavesco eorum ineptas cavillationes falsasque doctrinas. Dum ergo sub Gloriosissimis Auspiciis Tuis opusculum hoc meum publicam lucem

cem

cem adſpiciet, ſi quid mendi, aut erroris emerſerit Tua Auctoritate corrigatur, ſi quid autem bonæ frugis ſapiat, Potentia Tua cuſtodiatur, atque apud Poſteros æquoſque rerum cenſores, extet meæ in Te obſervantiæ, & obſequentiſſimi Animi perpetuum monumentum.

(*a*) Waddingus ad annum 1284. num. VII. Tom. V. edit. Romanæ. pag. 181.

(*b*) Waddingus ad annum 1251. Num. XLVII. Tom. III. pag. 259.

(*c*) Legeſis Bullam *Inſtituit Deus* Dat. Romæ apud SS. Apoſtolos 13. Kal. Febr. an. XII. Apud P. Caſimirum Romanum in Hiſtor. Aracælitani Conv. pag. 455. edit. Roman. 1736.

(*d*) Apud P. Caſimirum cit. pag. 331.

(*e*) Ad annum 1328. num. XXVII. Tom. VII. pag. 88.

(*f*) Ad annum 1353. num. VIII. Tom. VIII. pag. 89.

CON-

DE Mandato Reverendiss. Patris Clementis a Panormo Ministri Generalis totius Ordinis S. P. N. Francisci Librum, cui titulus est: *Triplex Biblico-Critica demonstratio, in qua Biblia Sacra Vulgatæ Editionis Sixti V. jussu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita non vitiosa demonstratur &c. a R. P. F. Bonaventura Setaro a Magdalono Min. Reformatorum Provinciæ Neapolis Lectore Emerito*, serie, ac attento animo legi, testorque nihil penitus in eo contineri, quod Catholicæ Religioni adversetur, vel sanctis moribus contrarium sit. Immo non modica Auctoris diligentia in ipso elucet, qua Adversariorum opiniones, & argumenta refutans, Vulgatæ nostræ puritatem pro Religionis zelo laudabiliter propugnat. Dignum propterea censeo, ut typis mandetur, si ita quoque iis videbitur, ad quos pertinet &c.

Romæ S. Francisci ad Ripas Tyberis die 30. Julii 1759.

F. Carolus a Golleono Sac. Theol. Lector.

JUssu Reverendissimi Patris Clementis a Panormo Ministri Generalis totius Ordinis S. P. N. Francisci Librum inscriptum: *Triplex Biblico-Critica Demonstratio, in qua Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. jussu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita non vitiosa demonstratur, a R. P. F. Bonaventura Setaro a Magdalono Min. Reformatorum Provinciæ Neapolis Lectore Emerito* diligenter, & adcurate perlegi; cumque splendidum, ac utilissimum argumentum, quod ingeniosus Auctor illustrandum suscepit, nedum erudite solida, & clara methodo pertractet, sed insuper Catholicæ Religionis Osores, & intemperantiores Criticos invicte refellat, ac nihil præterea in toto opere contineatur, vel intemeratæ Fidei nostræ inconcussis Dogmatibus dissonum, vel Sanctis, Christianisque moribus contrarium: Dignum propterea censeo, ut prælo committi publice possit, & valeat. Si ita quoque videbitur iis, ad quos &c.

Romæ S. Francisci ad Ripas Tyberis die 30. Julii 1759.

F. Carolus Bonaventura à Roboreto
Sacræ Theologiæ Lector.

Fr. Clemens a Panormo Lector Jubilatus, Catholicæ Majestatis in regali Congressu Matritensi pro Immaculata Conceptione Theologus, totius Seraphici Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, Commissarius Visitator, Reformator Apostolicus.

CUm de Ordine nostro a duobus Patribus Theologis revisum, & approbatum fuerit Opus, cui titulus est. *Triplex Biblico - Critica Demonstratio &c.* compositum a R. P. Fr. Bonaventura Setaro a Magdalono nostræ Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris Lectore Emerito, vigore præsentium ipsi facultatem concedimus, quatenus, servatis servandis, illud typis mandare possit, & valeat.

Datum Romæ ex Aracæli die 14. Augusti 1759.

Fr. Clemens de Panormo Ministris Generalis.

Loco † Sigilli.

De Mandato Reverendiss. in Christo Patris Fr. Hieronymus a Francavilla Secretarius Generalis Ordinis.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione ed Approvazione del P. F. *Gio: Paolo Zapparella* I General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro int *Biblico Critica demonstratio, in qua Biblia Sacra* *ditionis &c. non vitiosa demonstratur &c.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Secretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Francesco Storti* Stampator *di Vicenza*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 9. Decembre 1759.

(Alvise Mocenigo Riff.
(Angelo Contarini Proc. Riff.
(Francesco Morosini 2. Kav. Proc. Riff.

Registrato in Libro a carte 31. al num. 184.

Gio: Girolamo Zuccato Seg.

Adi 17. Decembre 1759.

Registrato, ed Approvato dal Mastigrato Eccelentiss. degli Eccecutori contro la Biastema.

(*Gio: Pietro Dolfin Segr.*

CONSPECTUS OPERIS.

PRÆFATIO.

HAsce Auctor, tametsi aspernabiles primitias suorum laborum, exemplo Hieronymi S. Matri Romanæ Ecclesiæ prono animo consecrat. Num. I. Idcirco tot Latinas fontium versiones Novatores fabricarunt, ne eidem mucroni, quo veteres Hæretici confossi fuere, occurrerent. II. Proferuntur præcipuæ propositiones, quibus Novatores ducuntur ad elevandam Vulgatam correctam. III. Sicut & aliæ decipulæ eodem collimantes. IV. Quamquam primo intuitu æquior Brianus waltonus videatur, re tamen vera cæteris Heterodoxis Vulgatæ correctæ infestior. V. Præposteri criterii arguuntur ii Philologi qui non prius liquatis, quæ necessariò supponi debent, progressi sunt ad taxandam Vulgatam. VI. Nullum virum Catholicum decet ullam ex parte corrigere, vel emendare antiquum Interpretem, sive veterem editionem Latinam. VII. Singularis labor Waltoni in defensanda exactiori criterio Hæreticorum caussa. VIII. Quantùm sit Romanæ Ecclesiæ frugifero pro qualibet, vel minima particula Vulgatæ Clementis, decertare. IX.& X. Innuitur consilii ratio, propter quam Auctor asserta Waltoni ad crisim frequentius revocat. XI. Nonnulla, fide ingenua, protestatur. XII. Nusquam inter filios Romanæ Ecclesiæ defuere qui ivere assertum: Vulgatam Clementis nullum complecti mendum correctione dignum. XIII. Eximitur scrupulus ille, cujus persuasio omnium fere mentes hodie tenet: nimirum, neminem idoneum ad hujusmodi perlustrandam provinciam, nisi Hebraicam Græcamve calleat. XIV. Quoniam hujus argumenti judicium ex inspectione Latinorum Bibliorum,

& Com-

& Commentariorum PP. ceu ex argumento certiore, pendet; ut liquet *primò* præclaro teſtimonio celeberrimi Sixti V. XV. *Secundò* ex iis quæ in Præfatione Vulgatæ Clementis habentur. XVI. *Tertiò* nonnullis aliis momentis. XVII. Undenam præfata ſuaſio ſuam duxerit originem? *ibid.* Nonnulla ſpicula in contrarium refelluntur. *Ibid.* Qui noſtræ ſententiæ non adhærent, augent adverſariorum niſus. XVIII.

CAPUT PRODROMUM.

§. I. *Proferuntur in medium Tres Biblico-Criticæ Demonſtrationes.* Quemadmodum triplici potiſſimum via adverſarii Vulgatam correctam traducunt, ita triplici demonſtratione, occurrimus. XIX. Demonſtratio *prima* petita ex turbido fluxu hodiernorum fontium Hebræi Veteris Teſtamenti, Græcive Novi. XX. Demonſtratio *ſecunda* ex fidelitate antiqui Interpretis, necnon ex conſonantia Vulgatæ correctæ cum ejuſdem Interpretis emendatiſſima editione. XXI. Demonſtratio *tertia* petita tum ex privilegio Romanæ Eccleſiæ in deligendis, & declarandis ſine erroris periculo genuinis Scripturis, tum ex ejuſdem doctrina & uſu in favorem Vulgatæ correctæ. XXII.

§. II. *De generali primæ Demonſtrationis dialectico tramite.* Materia quam ſex Capitula primæ demonſtrationis complectuntur, brevi ſermone redigitur ad dialecticum tramitem. XXIII. Hęretici ubique tradunt, Vulgatam etiam correctam ſcatere mendis ubi diſcrepat a fontibus XXIV. Sed quoniam id aſſerunt ex falſa ſuppoſitione, qua tenent fontes hodiernos limpide fluere, idcirco *Capite primo & ſecundo* hujus demonſtrationis diſerte eorundem fontium fœdus curſus, oſtenditur. *ibid.* Adverſarii dę pleriſque corruptelis, quibus fontes hodierni obnoxii ſunt convicti, reponunt, id nihil obſtare quum eis præſto ſint Bibliaci contextus, nimirum verſio Septuaginta, Vetus

Ita-

Italica, Textus Samaritanus, Targum, versio Syriaca, Arabica, Æthiopica, & Persica ex quorum contextuum mutua collatione stabilitur, inquiunt, in hodiernis fontibus vera germanaque lectio. xxv. & xxvi. At in primis duplicis contradictionis redarguuntur. xxvii. Præterea Bibliaci contextus multò magis hodiernis fontibus insignes constuprationes spirant, obidque conficitur *Caput tertium & quartum*. xxviii. Replicant id non obstare si juxta Regulas sacræ Critices exemplaria tam fontium, quàm contextuum conferantur ad invicem. xxix. Proferunt præcipuas sacræ Critices Regulas, quas Waltonus refert. *ibid.* Quoque ingratitudinis, temeritatis, & invidiæ criminantur qui præfatis Regulis nolunt Vulgatam correctam subjicere. xxx. Verùm *Capite quinto* ubi de Regulis critices affatim dissertabimus, præfata dicteria enudabuntur. xxxi. Item conficietur *Caput sextum* ex tribus corollariis, quæ ex universa doctrina, in prioribus Capitulis tradita, consequuntur. *ibid.*

§. III. *De Typographicis mendis quæ in omnibus penitus editionibus Bibliorum Sixti V. & Clementis VIII. irrepserant.* Propter pene inevitabile fatum omnium Typographorum, irrepserunt præli vitia in omnibus editionibus Vulgatæ correctæ. xxxii. Propter hujusmodi menda, & Sixtus V. Bibliam editam 1590. sub incudem revocandam censuit, & Clemens VIII. majorem heinc pro iisdem vitandis cautelam adhibuit. *ibid.* Recensetur Diploma Clementis Bibliis castigatis præfixum. *ibid.* Licet Typographus Vaticanus felicioribus ventis enavigarit sub Clemente atque sub Sixto, non ita tamen, ut suis quoque scopulis non offendisset in Bibliis editis 1592. 1593. & 1598. xxxiii. Præfata vitia præli caussa fuere, ut Romani Correctores conficerent tres indices mendorum corrigendorum pro tribus citatis Bibliis. *ibid.* Describitur aliud Diploma Clementis VIII. quo facultatem tribuit Joanni Moreto imprimendi summa cum fide Textum Vaticanum Biblio-

blio-

bliorum, nulla facta additione aut imminutione. XXXIV. Moretus ſicut & alii Typographi in ſuis editionibus Vulgatæ correctæ nuſpiam præli vitia declinarunt. XXXV. Ex mendis typographicis, quibus omnia Biblia correcta magis vel minus ſcatent, & ex ſummis curis quas Sixtus, Clemens, Romanique Correctores pro iiſdem vitandis adhibuerunt, haud obſcure infertur, Vulgatam correctam complecti tantùm vitia præli, non autem antiqui Interpretis aut Romanorum Correctorum. XXXVI. Hujuſmodi conſequutio quoad ſecundam partem curſim in patulo ponitur. XXXVII.

§.IV. *De Regula inveniendi atque habendi in omnibus codicibus Bibliorum correctorum, quo vis loco & tempore editis, Vulgatam Latinam veterem, etiam a mendis typographicis perpolitam.* Typographica menda occaſioni fuerunt, ut Thomas Jameſius proderet famoſum Libellum impio lemmate inſcriptum *Bellum Papale*; Lucas Brugenſis Libellum cui titulus *Romanæ Correctiones &c.* & multi Typographi retinuerunt nonnulla menda in ſuis editionibus XXXVIII. Paucis confutatur jactantia Jameſii. XXXIX. Brugenſem penitus latuerunt tam typographica menda, quæ in Bibliis Vaticanis irrepſerant, quàm tres Indices Romanorum Correctorum. XL. Tantùm igitur abeſt, ut annotationibus Brugenſis adhæreamus XLI. Nonnullis Typographis, propter bonam fidem qua errarunt, ignoſcendum eſt. *ibid.* Ut huic malo Typographorum, quorum omnes editiones præli vitia olent, occurramus, proferimus Regulam inveniendi & habendi &c. *ibid.* Ut valeas in quovis codice Vulgatæ correctæ invenire & habere germanam lectionem, ter neceſſarium eſt, ex una parte ad manum habeas unum ſaltem ex codicibus impreſſis in Typographia Vaticana 1592. vel 1593. vel 1598. ex altera indices mendorum corrigendorum. XLII. Syllabus primus pro Bibliis Vaticanis 1592. XLIII. Syllabus ſecundus pro Bibliis Vaticanis 1593. XLIV. Syllabus tertius pro Bibliis

Va-

Vaticanis 1598. XLV. Adjiciuntur nostra penu tria typographica menda corrigenda in hisce postremis Bibliis. XLVI. Claritatis studio nonnulla suppeditantur exempla Regulæ. *ibid.*

§. V. *Supradicta Regula illustratur quinque exemplis, necnon a tribus spiculis vindicatur*. Castigantur duo typographica menda quæ irrepserant in codicibus Pitteri Editionis Venetæ anno 1740. XLVII. Ad fidem Regulæ alia duo vitia corriguntur in Bibliis Remondinianis 1750. XLVIII. Multoplura in Bibliis Nicolai Pezzanæ Editionis Venetæ 1754. XLIX. Quod inspectione codicis tertiæ Vaticanæ Editionis in codicibus Pezzana præstitimus, & adjumento alterius alii præstare poterunt. L. Describuntur tria spicula quæ ab Adversariis contra datam Regulam objectare possunt. LI. præfata Regula a Romana Sede primitus professa est, atque ita nil impedit quo minus adversetur doctrinæ, & usui omnium fere hodiernorum criticorum. LII. Sunt absolute laude digni, qui ante correctionem Vulgatæ insudarunt in conferendis codicibus fontium, contextuum, & manuscriptorum latinorum; secus verò qui post præfatam correctionem idipsum præstiterunt, vel præstant. LIII. Parum interest quod in præfatis syllabis sint menda non a Correctoribus, sed a P. Bukentop vel a nobis castigata. LIV. Exemplis explicatur ratio consilii quæ servata est in adoptandis quibusdam mendis a P. Bukentop correctis. LV. Alio exemplo in nonnullis aliis quæ prætermissa sunt. LVI. Ut quis valeat invenire, si quæ sint, & castigare ad fidem datæ Regulæ alia menda in Bibliis Vaticanis, opus est, ad manus habeat codices trium Vatican. editionum, necnon tres indices nuper consignatos. LVII. Probatur per datam Regulam sufficiens remedium adhibitum fuisse malo, quod adversus omnimodam Vulgatæ authentiam grassatur. LVIII. Non pro arbitratu, sed firmis & fere evidentibus conjecturis nonnulla menda addita sunt

indi-

indicibus Correctorum; alia e contra, quæ nonnulli male taxant, rejecta. LIX. Contra judicium Romanæ Sedis Romanorumque Correctorum minime adhærendum est Lucæ Brugensi, vel cuivis alio privato critico. *ibid.* Præcisis typographicis mendis astruitur ab Auctore, Vulgatam correctam nullum complecti mendum correctione dignum. *ibid.*

§. VI. *De methodo quam P. Natalis Alexander tenuit in evulgando inter Romanæ Ecclesiæ Filios Waltonianum systema.* Ut alterius justis mandatis morem gererem notatur Alexander crimine plagii. LX. Pro Waltoniana doctrina magis atque Waltonus ipse Alexander zelare visus est. *ibid.* Fragmentum I. waltonianum ab Alexandro descriptum. LXI. Fragmentum II. LXII. Fragmentum III. LXIII. Fragmentum IV. LXIV. Fragmentum V. LXV. Fragmentum VI. XXVI. Fragmentum VII. XXVII. Fragmentum VIII. XXVIII. Fragmentum IX. XXIX. Et alia possem exponere waltoniana loca, quorum Alexander plagiarius existit, heinc nonnulla alia cursim innuuntur. XXX.

§. VII. *De Catalogo Auctorum quorum & judicii momenta probabuntur vel repellentur, & tempora quibus floruerunt, & editiones quarum auctor usum babuit, percensentur.* Redditur ratio cur sequens Catalogus auctorum cum allegatis circumstantiis confectus fuerit. XXXI.

DEMONSTRATIO I.

CAPUT PRIMUM.

De integritate, & sinceritate hodierni Textus Hebraici.

Explicatur quàm prerupti negotii, atque definitu difficile sit præsens controversia: Num. 1.

§. I. *De iis qui pro puritate vel turbido fluxu hodierni Hebræi, velis, remisque propugnarunt.* Jamdudum Augusti-

ni temporibus isthæc quæstio emersit, sed pluribus seculis consopita, Erasmus Roterodamus odio Vulgatæ Latinæ eandem extumulavit. 2. Ut Erasmo quàm lubentissime adhæsit Lutherus, ita probati viri Catholici in aciem proruperunt: proindeque sublestæ fidei videntur quæ in favorem Erasmicæ versionis novissimi Historici percensent. 3. Id satis coniicitur ex testimoniis Possevini & Cornelii Mussi. 4. Quod Lutherani & Calvinistæ acriter propugnarint puritatem hodiernorum fontium testantur. Salmeron. 5. Thomas Stapletonus. 6. Bellarminus. 7. Dominicus Gravina. 8. ficut & Waltonus bene noscit, viros de Ecclesia catholica semper fuisse pro opposita sententia. 9. Reprehenditur calumnia Waltoni effutientis: *Romani Doctores in gratiam Vulgatæ Latinæ Hebræum Textum malitiose a Judæis corruptum esse clamitant*. 10. & 11.

ASSERTIO.

Hodiernus Hebræus Textus consтuprationibus scatet ideoque ubi a Vulgata discrepat non est ei fidendum.

§. II. *Proferuntur veterum Patrum monumenta. Primò* Justini. 12. Instantiæ recentiorum arbitrantium Justinum intelligi de exemplaribus Septnaginta, vel de non omnibus Hebraicis, refelluntur. 13. & 14. *Secundò* Irenæi, ubi excutitur alter lapillus de Judæis non quidem corrumpentibus, sed dumtaxat perperam interpretantibus suas litteras. 15. *Tertiò* Tertulliani 16. *Quartò* Origenis 17. 18. *Quintò* Augustini suffragantis potius quàm refragantis. 19. *Sextò* Clementis Alexandrini, Athanasiii, Episanii, Chrysostomi, Nanzianzeni 20. *Tandem* Hieronymi, cujus momenta ab obliquis adversariorum interpretationibus, vindicantur. 21. & seqq. Enudatur nigrum theta quod D. Hieronymo Richardus Simonius præfigit.

25. Duo

25. Duo momenta quibus videtur suum commentum probare, referuntur & refelluntur. 26. & 27. Perperam citat Hieronymum, & suo commate conicitur subducere voluisse subterfugium Jansenistarum. 28.

§. III. *Recitantur Theologorum haud infimi subsellii perspicuæ sententiæ.* Eorum qui floruerunt ante Concilium Trident. Lyranus 29. Paulus Burgensis Episcopus 30. Porchetus 31. Petrus Galatinus 32. Augustinus Justinianus Nebiensis 33. Jacobus de Valentia 34. Dominicus Garsias 35. Augustinus Steuchus 36. Franciscus Ximenes 37.

Eorum qui tempore Concilii, vel post scripserunt. Melchior Canus 38. Sixtus Senensis 39. Salmeron. 40. Marius Victorius 41. Leo Castrius 42. Gregorius de Valentia 43. Villalpandus. 44. Bellarminus 45. Serarius. 46. Joannes Morinus 47. Joan. Mariana. 48. Franciscus de Mendoca 49. Joan. Lorinus. 50. Sforza Pallavicinus 51. Claudius Frassen. 52. Natalis ab Alexandro 54. Gaspar Juvenin 55. Antonius Casinus 56.

§. IV. *Accedunt Hæreticorum quoque haud obscura testimonia turbidi fluxus hodierni Hebræi.* Calvinus pluribus in locis. 57. Munsterus 58. Waltonus 59. Richar. Simonius de cujus communione cum Romana Ecclesia non satis constat. 60.

§. V. *Protenduntur cardines a ratione petiti. Primus* ex ocularibus corruptelis, quibus hodiernus Textus Hebræus scatet. 61. & 62. quasque multoplures enumerant eruditiores Catholici. 63. Exsufflatur instantia qua moderni venditant: minime in omnibus exemplaribus Hebraicis corruptelas irrepsisse. 64. vel quod idcirco nonnulla desunt ab Hebræo quia pro canonicis scripturis Judæi non habent. 65. vel quod corruptelæ consistunt in quibusdam levioribus mendis, atque labeculis 66. *Secundus* ex ingenti varietate Hebraicorum codicum quos hodie habemus 67. Nec *Masora* quam cæteris Hebraicis Simonius præfert, alicujus esse potest auctoritatis. 68. *Ter-*

tius ex discrepantia hodierni Hebræi ab eo quo Hieronymus usus est, & per consequens multò magis ab Archetypo. 69. & seqq. Carpitur Waltonus criminans S. Hieronymum jactantiæ & inconstantiæ. 72. & 73. *Quartus* ex Decreto Concil. Trid. quo probata fuit Vulgata vetus, a qua hodiernus Hebræus passim discordat; atque ita cuique viro Catholico cordi esse debet, tueri corruptionem hodiernorum fontium 74. Obiter impugnatur doctrina: *Tridentinum in rebus tantùm fidei & morum Vulgatam authenticam declaravit*. 75. & 76. Quod hodiernus Hebræus integer non sit in rebus fidei & morum eruitur ex scopo Judæorum corrumpentium 77. Ex ocularibus corruptelis. 78. Ex illo Isaiæ ix. v. 6. de quo specialis crisis instituitur. 79. Ex inepto absurdo quod non ad fidem Vulgatæ, sed Hebræi Textus definiendæ forent quæstiones fidei, & morum. 80. Quod quàm absonum sit evincitur, quia hoc in casu *principiò* multæ notabiles partes vulgatæ non essent canonicæ. 81. *Secundò* miseri fuerunt, nec bene se gesserunt veteres Scholastici Linguarum orientalium imperiti. 82. *Tertiò* neque Romana Ecclesia in Inquisitores Hæreticæ pravitatis delegisset, atque deligeret, qui earundem imperitia laborant. 83. Nec tandem poterimus uspiam de Romana fide invicte inimicos evincere. 84. Quædam hac de re pereensentur apophthegmata Claris. Cani, sicut & commenta Joannis Clerici & Buddei. 85. Evincitur oscitantia nonnullorum recentiorum Thologorum asserentium: *quæstiones in rebus fidei & morum ad normam fontium dirimendas esse*. 86. Redit oratio de turbido fluxu hodierni Hebræi in rebus fidei & morum. 87. Quantùm intersit discrimen inter decidere quæstiones Religionis ad fidem Vulgatæ, & ad normam fontium, etiamsi limpide fluerent. 88. *Quintus* si Hebræus non fuisset corruptus haudquaquam Hieronymus in sua concinnanda versione ab eo discessisset 89. Nec sacra Congregatio Concil. Trid. Interpr. ad censuram tertiæ regulæ Indicis amandasset ea, in quibus fon-

fontes cum Vulgata non concordant. 90. Nonnisi ex puritate fontium progrediuntur Hæretici ad traducendam Vulgatam etiam correctam. 91. & 92.

Obteruntur Adversariorum Objecta.

§.VI. *Ad crisim revocantur momenta quæ ex Hieronymo, & Augustino obiiciuntur.* Hieronymus videtur irridere sententiam nostram. 93. Re tamen vera ludibrio habet Hæreticos arbitrantes Ecclesiam Christi amisisse integritatem scripturarum. 94. Quod sane fuse Hieronymi & Augustini calculo commostratur. 95. & seqq. Inverosimile videtur Hieronymum voluisse insibilare sententiam a prioribus PP. prædicatam. 98. Discrimen assignatur inter sententiam nostram, & eorum in quos Hieronymus invectus est. 99. Eo rerum criterio videntur Novatores tueri integritatem fontium, quod unice conducit ad extumulandam eandem Hæresim. 100. Epitheta quibus Hieronymus exornat Hebræum minime probant istius integritatem. 101. & 102. Quid sibi vindicet illud *Hebraica veritas. ibid.*

Augustini plura opponuntur testimonia. 103. sed nobis, qui tuemur non omnia penitus quæ in Hebræo Christum sonabant, Judæos ex omnibus suis codicibus sustulisse, non adversantur. 104. Deridetur languida inertia Judæorum frustra deflorantium suos codices. 105. Aliis Augustini testimoniis obiectatur, nec potuisse Judæos omnes codices adulterare. 106. Exscribitur responsio Salmeronis. 107. Ex integro textu Augustini adcurate librato, eruitur, haud sententiam nostram positive reprobasse, nec assertive tradidisse oppositam; sed dumtaxat opinative, & conditionate. 108. adusque 113. ubi subiicitur tabula annorum Mathusalem secundum Hebræum, & secundum Versionem Septuaginta, nec non alia plura.

§.VII. *Refelluntur Objecta a ratione petita. Primò* objectatur dissentio Scriptorum circa tempus corruptionis; at non semper incertitudo temporis est argumentum firmum.

mum. 114. & 115. Ante adventum Domini & prædicationem Apostolorum ab omni erroris nævo immunes extiterunt sacræ litteræ. 116. Neque statim & immediate post prædicationem Apostolorum corruptæ fuere; sed circa initium secundi seculi 117. & 118. Caussa unde Judæi tam infandum perpetrarint? *ibid.* Neque inferri valet ex eo jam tempore Ecclesiam Christi amisisse scripturarum integritatem. 119. Interpolatis sacris codicibus Hebraicis, Græcis, & Latinis Ecclesia caruit integro Dei verbo penes quemlibet Bibliacum codicem singulatim acceptum, non verò penes omnes collective sumptos. 120. & seqq. Licet omnes Bibliaci codices in aliquibus deflorati, non tamen omnes iisdem in locis. *ibid.* Singulari Dei beneficio, hodie in solo codice Vulgatæ Clementis VIII. integrum Dei verbum habemus. 123. Libet adversariis cum Waltono, ex statuta corruptione Hebræi Textus ante Hieronymi tempora inferre eadem vitia fuisse transfusa in Vulgata, quam ex Hieronymo habemus. 124. Sed distorte; 125. quia Hieronymus novæ versioni incumbens, nuspiam contentus fuit inspectione solius Hebræi. 126. Nuspiam Hebræo adhæsit ubi animadvertit exundantem, vel truncatum. 127. Interdum reliquit Hebræum se coaptando Septuaginta senioribus. 128. Reliquit etiam caussa vitandi vitium, quod opponeretur spirituali intellectui sacræ Scripturæ, aut venustati Latini sermonis. 129. Explicantur testimonia, quibus Hieronymus quandoque testatur, se ad verbum & quàm fideliter Hebræum vertisse. 130. Animadvertitur qua lege Hieronymiana versio dicatur ex Hebræo expressa. 131. *Secundò* opponuntur præscripta Romanorum Pontificum, necnon munificentissima stipendia in favorem eorum qui dant operam Orientalibus linguis, & fontes Scripturarum consulunt. 132. At id minime probat integritatem fontium, sed indicat utilitates quæ ex peritia Linguarum in Ecclesia Dei exurgit: quæque percensentur. 133. Tametsi ante Sixtum

V. &

V. & Clementem VIII. necessaria profectò erat inspectio fontium; in lucem tamen edita Vulgata correcta, non amplius quoad hanc partem ea nobis opus est, ut potius dicerem illicita. 134. & seqq. Elucidantur constitutiones Clementis V. & Pauli V. 135. Quinimmo solatium nobis præstant. 136. *Tertiò* opponitur non potuisse Judæos omnes Hebraicos codices depravare. 137. Sed momenta a ratione, & verisimilitudine petita haud tanti facienda, ut propter ipsa licitum sit inficiari factum constanti traditione, & ocularibus speciminibus comprobatum. 138. Innuitur ingens studium tum Judæorum in constuprandis sacris litteris, tum Solonis Atheniensis circa codices Omeri. 139. Argumentum hocce reiicitur in eosdem adversarios admittentes corruptionem Versionis Septuaginta. 140. Eò magis vexantur exemplis corruptelarum, quas in omnibus Hebraicis codicibus irrepsisse ipsi quoque affirmant. 141. *Quartò* obiicitur Hebræum haud depravatum fuisse in vaticiniis de Christo. 142. Sed ad hance stropham confutandam nonnullæ corruptelæ hujus generis suppeditantur: & Waltonus de contradictionis vitio evincitur. 143. Minime Bellarminus suffragatur Waltono. 144. Tandem Waltonus contendit tam providentiæ divinæ, quàm fidelitati & curæ Ecclesiæ Christianæ repugnare deflorationem Hebræi Textus. 145. Sed falso laborat supposito. 146. Deus satis per Ezechielem innuit Hebræos fore aliquando sacros Libros turbaturos. *ibid.* Nonnulla dicteria Waltoni stricta methodo sauciantur. 147.

Synopsis. Cursim detegitur Hæreticos hoc in negotio Thrasones agere; namque affectant zelum Religionis; adjudicant Catholicis quæ in seipsis conspiciuntur damnata; perperam gloriantur de suffragio Catholicorum; super veteres sese elevant, quum propter vitium inconstantiæ nec mereantur eorum exosculari vestigia: sese jactitant credere quæ ex solo imperio rationis credenda veniunt,

niunt, dum veras rationes non intelligunt, aut intelligere nolunt. Nullam Hieronymi & Augustini rationem habent, & istorum auctoritatem, ut Catholicos vexent, sæpe opponunt; acriter caussantur de iis quæ ad crisim redacta, infirma comperiuntur. 148. Heinc si hodiernus Hebræus turbide fluit, plane ei fidendum non est ubi a Vulgata Clementis discrepat. 149.

CAPUT SECUNDUM.

De integritate & sinceritate hodierni Textus Græci Novi Testamenti.

Affinitas præsentis controversiæ cum superiori. 150.

§. I. *In patulo ponitur controversiæ status*. Curæ nobis non est cernere deliriis Anabaptistarum & Servetanorum. 151. Ecclesia Christi nuspiam, nec quoad apiculum amisit integritatem Novi Testamenti in ipsa omnium codicum Bibliorum, & veterum PP. universitate. 152. Hæretici acriter tuentur puritatem hodierni Græci. 153.

A S S E R T I O.

Hodiernus Græcus Textus Novi Testamenti insignibus est corruptelis obnoxius; proindeque ad fidem ipsius minime est Vulgata examinanda, vel corrigenda.

§. I. *Ad suffragium advocantur Patres, Theologi, imo & tres Hæretici. Patres*. Irenæus. 154. Origenes ex cujus testimonio eruitur quantùm critici sibi indulgeant. *ibid.* 155. Hilarius. 156. Ambrosius, & Hieronymus 157. Gregorius Magnus. 158. Quoad *Theologos*. Canus, Salmeron, Thomas Stapletonus. 159. Bellarminus; Dominicus Gravina, Serarius. 160. Pallavicinus, Joseph Angelus a Nativitate, Eminentissimus Gotti. 161. Quoad *Hæreticos* Sixtinus Amama, Waltonus, Casaubonus. 162.

§. III.

§. III. *Decoratur assertio momentis a ratione*. Et *primò* plerisque ocularibus corruptelis, quas eruditi in Textu hodierno Græco deprehendunt. *163*. *Secundò* ex ingenti varietate, & turbido fluxu omnium pene hodiernorum codicum. *164*. Neque ex verbis Hieronymi evincitur Græcum textum saltem eo tempore spirasse puritatem. *165*. *Tertiò* Quod si Hieronymiano tempore expers non erat insignium corruptelarum, multò magis hodie. *166*. *Quartò* directe contra Theologos sentientes oppositum, quia si hic purus est, jam Vulgata vetus in Concilio Tridentino probata censenda erit vitiosa, ubi a Græco hodierno discrepat. *167*. Prava Græcorum consuetudo in constuprandis libris. *168*. In rebus quoque fidei & morum vacillat hodiernus Græcus. *ibid.*

§. IV. *Diluuntur Objecta*. Ne repetantur dicta, memoriæ mandantur quæ hac in parte opponi possunt; & ad normam eorum quæ in superiori capite enucleata sunt, pro solutione reponenda. *169*. Modernus criticus arbitratur, Hieronymum non in Græco, sed in novo testamento Latino corruptelas agnovisse. *170*. Sed tam non ex Hieronymiano Textu quàm communi eruditorum calculo oppositum evincitur. *171*. Quò collimavit præceptum Damasi a Hieronymo expletum. *ibid.* Quamquam nonnulli codices minus interpolati videantur, hosce tamen Hæretici minoris faciunt. *172*. Dissentio Græcorum codicum plane eorum auctoritatem elevat. *173*. Cujus auctoritatis sit Textus Ecclesiæ Catholico-Græcæ? *ibid.* Quum Waltonus argumentatur: Si Textus Græcus est corruptelis obnoxius jam Ecclesia orientalis veram scripturam non habebit, videtur struere viam dubitandi de omnibus Scripturarum editionibus. *174*. Ecclesia Græco-Schismatica caret vera scriptura. *ibid.* Ecclesia Græco-Catholica veras Scripturas habet, sed non in solo codice quo utitur, sed in omnibus simul collectis exemplaribus Bibliacis. *175*. Inter omnes Christi Ecclesias Ro-

manam fidem profitentes, eæ solùm gaudent privilegio habendi scripturam authenticam in uno solo codice, quæ utuntur Vulgata correcta. 176. Nec in tota Bibliorum codicum collectione veras Scripturas habet Ecclesia Græco-Schismatica. *ibid.* Quælibet particularis Christi Ecclesia cujuslibet gentis & nationis, modo Romana fide prosequatur Christum, veram certe scripturam habet in tota codicum universitate; secus si Romano Pontifici non adhæret. 177. Textus Græcus falsatus est tam ab Hæreticis, quàm a Græcis Schismaticis. 178. Tametsi veteribus PP. cordi fuit custodire sacros codices, haud tamen valuerunt infandum totaliter impedire. *ibid.* Est Orthodoxorum doctrina Vulgatam emendatam, hodiernis originalibus Græcis priorem esse atque perfectiorem, imo loco Originalis habendam. 179.

CAPUT TERTIUM.

De integritate & sinceritate hodiernæ versionis Septuaginta.

Dicendi ratio, præsenti capite servanda, proponitur. 180

§. I. *De Historia Versionis Septuaginta, deque difficultatibus ad eandem attinentibus.* Quo anno, quo fine, cujusque consilio Rex Ægypti hance versionem promovit? ubi quoque de seniorum numero. 181. Quàm maximo Rex Sapiens suscipit Seniores honore 182. Ubi, & quomodo Seniores demandatam provinciam aggrediuntur? *ibid.* Quid absoluta versione, gestum fuerit? *ibid.* Ex eo jam tempore quo versio elucubrata fuit cæperunt Judæi loco Hebræi textus in publicis privatisque lectionibus eam usurpare: eaque tempore Christi, & Apostolorum uti in Synagogis; post tamen passionem Domini inchoarunt odio habere. 183. Orientalis Christi Ecclesia semper constanti usu consecravit; non ita tamen Synagoga. *ibid.*

PRIMA DIFFICULTAS. Longe probabiliora sunt mo-

momenta quæ ſuadent Ariſtæam revera fuiſſe auctorem Libelli, qui quaſi fons originarius præfatæ Hiſtoriæ habetur. 184. Percenſentur quinque recentiorum Scepticorum argumenta in contrarium. 185. Quorum infirmitas gradatim oſtenditur. 186:

SECUNDA DIFFICULTAS de Rege Ptolomæo, ubi in anteceſſum innuitur diſciſſio Imperii Græcorum mortuo Alexandro magno, & numerus Ptolomæorum Regum Ægypti. 187. Probabilior ſententia videtur quæ negotium adiudicat Ptolomæo Philadelpho. *ibid.* referuntur & refelluntur Neotericorum momenta. *ibid.* Philadelphus vindicatur ab impoſtoribus. *ibid.* Quare Scriptores Gentiles negotium verſionis nec tribuunt Philadelpho, nec ſubodorantur. *ibid.*

TERTIA DIFFICULTAS, Varietas opinionum circa cellularum hiſtoriam. 188. Utpote veriorem, necnon catholicis principiis magis conſentaneam amplectimur ſententiam aſſerentem: ſingulos ſeniores in ſingulis ædiculis incluſos verſionem perſolviſſe. *ibid.* Speciali obſervatione id primò eruitur ex teſtimonio Philonis Judęi Alexandrini. *ibid* & Juſtini Martyris 189. In eandem ſententiam conſpirant Irenęus, Clemens Alexandrinus, Euſebius Cęſarienſis, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius. 190. Auguſtinus. 191. Refellitur interpretatio Waltoni: Auguſtinum non certò tradidiſſe aſſertum noſtrum. *ibid.* Criterium Neotericorum ſtudio novitatis inducendæ everſum. *ibid.* Scopus Auguſtini in extollenda verſione Septuaginta ſuper Latinos codices, qui vitiis referti ſuo tempore circumferebantur. 192. Subiicitur Auguſtini textus. *ibid.* Adverſarii magni faciunt, graviterque obiectant ſilentium Ariſtææ, & Joſeph quoad cellularum hiſtoriam; at non deſunt momenta coniiciendi horum Auctorum codices, quoad factum cellularum, ante Hieronymi ætatem fuiſſe a Judæis interpolatos. 193. Vel ſi hujuſmodi conjectura videatur eſſe ſomniantis conſilium, neque ſilen-

tium præfatorum tanta a fidelibus colendum eſt obſervantia. *ibid.* Hieronymus non abſolute, ſed conditionate, ſpectato ſcilicet ſilentio Ariſtææ, & Joſephi videtur denegaſſe hiſtoriam cellularum. *194.* Quatuor propinatis ſpiculis. 195. fit ſatis. *196.* De aperta contradictione Waltonus convincitur. *ibid.* Hic pariter contrariis conjecturis lectorem irretit. *197.*

QUARTA DIFFICULTAS. Rectiſſime tueri putamus peculiarem Spiritus Sancti aſſiſtentiam in Septuaginta ſenioribus, Hebræum Gręco ſermone reddentibus; nobis pręeuntibus Philone, Juſtino, Irenęo, Clemente Alexandrino, Euſebio Cæſarienſe, Cyrillo Hieroſolymitano, Epiphanio, aliiſque veteribus. 198. Favet quoque Hieronymus, quem nonnulli ut contumelioſum in Septuaginta Seniores evulgant. *199.* Nec refert ſi interdum ſcripſit, ſeniores non prophetaſſe. *ibid.* Idem reſponſum Hieronymi in Ruffinum olim detractorem ejuſdem pari in cauſſa Waltono adaptamus. 200. Nunquam Hieronymus in ipſos interpretes invectus eſt, ſed unice in vitia, quibus ſuo tempore verſio illorum ſcatebat. *ibid.* Sine peculiari Spiritus Sancti aſſiſtentia haud valuiſſent Seniores in ſingulis ædiculis ſeparati, neque in una dictione diſcrepare. 201. Excutiuntur alia lapilla quæ Waltonus ingerere contendit. 202.

QUINTA DIFFICULTAS. Eſt veterum PP. ſententia, Septuaginta ſeniores fuiſſe omnes veteris Teſtamenti Libros interpretatos. 203. ſuppeditantur tres rationes. *ibid.* Duo obiecta diluuntur. 204. Non ſolus Pentateuchus, ſed omnes ſacri libri ſæpe in ſacris paginis nomine legis, veniunt: *ibid.*

PRINCEPS DIFFICULTAS ad integritatem hodiernæ verſionis Septuaginta ſpectans. Ingens Waltoni ſtudium in aſtruenda ſinceritate & integritate hodiernæ verſionis. 205.

§. II. *Præmittuntur ſcitu digna.* Determinatur verſio Se-

Septuaginta, de cujus integritate excitatur quæstio 206. Ante versionem a Senioribus elaboratam, aliam vetustiorem licet imperfectam extitisse, cum Frasseno agnoscimus. 207. Quod evincitur tribus monumentis, idest, Aristobuli. *ib.* Philonis, Josephi, Clementis Alexandrini. 208. Baronius tametsi pendeat ad oppositam sententiam, probe tamen agnoscit nostram esse communem. 209. Haud verosimile videtur, Scripturas Judæorum antiquis Philosophis, qui ante versionem Septuaginta floruerunt, dumtaxat viva voce innotuisse. *ibid.* Cum eodem Frasseno imus inficias versionem Alexandrinam, sub Ptolomæo Physcone a Judæis Alexandrinis, elucubratam. 210. Quæ facta veterum spectant, ex alto eorundem silentio validum exurgit dubitandi argumentum. *ib.* Eadem sua critices regula Neoterici jugulantur. *ibid.* Libuit Usserio tradere Alexandrinam versionem fuisse communiter receptam; sed ubi, quando & a quibus, difficile probatu est. 211. Recentioribus Usserii assentatoribus fit satis. 212. Commemorantur celebriores versiones Grææ, puta Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, necnon pravum istorum consilium in elucubrandis iisdem. 213. Cur Theodotion, etsi Symmacho præiverit, postponatur. *ib.* De versione Jericuntina, Nicopolitana, deque auctorum religione. 214 Quid de septima editione, utrum cum Lucianea confundenda? *ibid.* Ingens varietas Græcarum editionum excitat Origenem ad elucubrandas Polyglottas. 215. Quid Polyglottarum nomine; nec non Tetraplæ, Exaplæ, & Octaplæ suppeditantur figuræ. *ib.* Religiosus Origenis labor, at non omni ex parte laudabilis. 216. De editione Lucianea & Hesychiana. 217. Lugenda istarum versionum jactura, si Origenianam excipias. *ibid.* Nugæ quibus passim delectatur Waltonus adversus qui tuentur corruptionem versionis Septuaginta. 218.

AS-

ASSERTIO.

Hodierna verſio Septuaginta Seniorum pleriſque ſcatet haud levibus vitiis; ſicque tanquam corrupta cenſenda eſt ubi a Vulgata diſcordat.

§. III. *Enunciantur veterum recentiorumque ſententiæ*. Deſcribitur teſtimonium Juſtini; & interpretatio Waltoni contra ſeipſum militat. Alii Critici de eodem fere vitio accuſantur. *ib.* 219. Quum Vulgatam veterem Concil. Tridentinum probarit, & à mendis S. Sedes perpoliverit hæc hodie habenda eſt pro lidio lapide in probandis vel corrigendis lectionibus tum fontium tum verſionum, & diſcernendi ubi memoriter, & ad ſenſum, vel verbatim veteres PP. citarunt ſcripturas. *ibid.* Adſtipulantur Irenæus, Dionyſius Alexandrinus, Origenes. 220. Hieronymus. 221. Variis dicteriis conatur Waltonus Hieronymi ſententias eventilare. 222. Sed inaniter. 223. Imo per trabem ſuam contendit invenire feſtucam in Hieronymianis oculis. 224. Quod ab eruditioribus veteribus traditur, per malitiam ſoli Hieronymo accenſet. *ibid.* Pariter nobiſcum conſentiunt Suidas. 225. Thomas Stapletonus, Bellarminus, Præfatio Bibliæ Latinæ Italicæ. 226. Serarius, Natalis ab Alexandro, Bonfrerius. 227. Fraſſen, Antonius Caſinus, Richardus Simonius, & aliqualiter Waltonus. 228.

§. IV. *Multiplex ratio ſuppeditatur*. *Primò* ex ocularibus diſcrepantiis inter hodiernam verſionem, & Hebræum cum Latina in rebus gravioribus ſpectantibus ad Religionem. 229. & ad Scripturarum integritatem. 230. *Secundò* ex exantlato Origenis labore in elucubrandis Polyglottis. 231. *Tertiò*. Quia hodierna verſio Septuaginta ſi Lucianea eſt haud corruptelis caret. 232. Idipſum ſi ſtatuatur eam eſſe, quam in Exaplis Origenes exaravit. 233.

Ne-

Neque Hieronymus contraria scripsit ex quo modo affirmavit, editionem Septuaginta in Exaplis incorruptam, & immaculatam, modo nec puram neque germanam. 234. Minime adversus Origenem, quem interdum meritò reprehendit Hieronymus iniquior fuit. *ibid.* Est probatu difficile, vitiorum versionis Lucianeæ, & quæ in Exaplis habebatur, hodiernam Sixtinam esse expertem. 235. Nonnulla scitu digna respectu versionis Latinæ, quam ex Græco Hieronymus adornavit. 236. *Quartò* ex PP. Tridentinis anathematizantibus qui libros cum omnibus suis partibus in Vulgata contentos pro sacris & canonicis non susceperit. 237. Hujusmodi pervulgata propositio: *Concilium tantùm in rebus fidei & morum authenticam declaravit Vulgatam*, quamque etiam viri summi de Romana Ecclesia ante correctionem Latinæ Bibliæ passim protulerunt, hodie rancida evasa est. 238. Tandem additur factum Romanorum Correctorum, quibus magis fidendum est quàm hodiernis criticis. 239.

§. V. *Solvuntur objectiones.* Nonnulla notantur objecta cum solutionibus, de quibus alibi discussio fuit. 240. Decretum Justiniani in favorem Judæorum versione Septuaginta utentium. 241. Licet circa initium secundi seculi Judæi conspurcarint hujusmodi versionem non ita tamen, ut quoad omnia existimanda sit depravata. *ibid.* Quibusdam interjectis Waltonianis nugis fit satis. 242. Incredibile videtur, discrepantias, quæ comperiuntur inter Hebræum & versionem Septuaginta, sola sciolorum temeritate aut temporum injuria ortas, & non etiam malitia Judæorum. 243. Interpretatur scopus Sixti V. præcipientis, ut editio Septuaginta, quam perpolivit, ab omnibus fidelibus reciperetur, & nihil ex ea in posterum immutaretur. 244. S. Augustinus religiose veneratur Hebræum fontem, & versionem Septuaginta iis etiam in locis in quibus discrepare videntur. 245. Contra arrisit nasutis hominibus plus æquo efferre hodiernos fontes,

tes,

tes, & Vulgatam Latinam, quam Romana Ecclesia usu suo consecrat, de erroribus criminari. 246. Augustini quoque calculo assulget, aliquid diversum in utriusque codicibus, puta fontium & versionum nonnunquam inveniri, & utrumque minime possit verum esse. 247. Obiter expenditur illud Augustini, de quo adversarii multis vicibus gloriantur: *Ei linguæ potius credatur unde est malitia per Interpretes facta translatio*. 248. Transcribitur præclarissima Regula quoad hanc partem P. Dominici Gravina. *ibidem*.

PRÆ-

PRÆFATIO.

I. SI cui animo ſciſcitari occurrit, quanam conſilii ratione tantos inter clariſſimos viros omnigena eruditione exundantes, quos noſtra ætas parturiit, impavido ſtudio mihi fuerit hac de re, cæteroquin plurimum apud hodiernos Sacros Criticos, operoſa & ſpiſſa qualemcunque lucubrationem prodere in lucem, eò, Deum teſtor, mea vota collimaſſe quò Sanctæ Matri Romanæ Eccleſiæ (inſigni auguratæ vaticinio in veteri Tabernaculo Arcæ fœderis, pro cujus excelſa conſtructione, Moſis ore, præcepit Dominus (*a*), ut quiſque de caterva filiorum Iſrael voluntarius, & prono animo primitias, quas pro conditione habebat, offerret) prout mihi tenuitas ſuppetit, mente promptiſſima, atque devota munuſculum hocce conſecrarem. Percelebris Triumviralis S. Hieronymus magno nobis in rerum themate monito eſt atque exemplo, ut qui pro Sanctarum Scripturarum tutela, ſuſceptis ad ſenectam uſque animi, corporiſque piis laboribus, ac improbis, *In Templo Dei*, ita rem totam fando teſtatur, (*b*) *offert unuſquiſque quod poteſt: alii aurum & argentum*,

A &

(a) *Exod.* xxv. v. 4. (b) *In Prol. Galea.*

& lapides pretiosos, alii byssum & purpuram, & coccum offerunt, & hyacintum; nobiscum bene agitur si obtulerimus pelles, & caprarum pilos. Ea de re pelles tametsi, atque pilos caprarum non nisi offerre præ oculis habeam Christi Sponsæ, cujus pedibus subditum me semper futurum nec non subjectum, Regulam S. P. Francisci jurejurando profitentem, spopondi; (*a*) *semper subditi, & subjecti pedibus S. R. Ecclesiæ stabiles in fide Catholica*, minime tamen de ipsa malemereri arbitror, quum integritatis & sinceritatis Bibliæ sacræ Vulgatæ Editionis jussu Sixti V. recognitæ, & Clement. VIII. auctoritate editæ caussam, & patrocinium, ut ut sit, suscipio.

II. Neminem profecto latet in hujuscemodi Vulgatam tot Mysteriis, oraculisque primitus figuratam, tot seculis ab Ecclesia constanti usu receptam, tot Patrum suffragiis in Tridentino Concil. comprobatam, ac tandem a S. Sede pristino suo nitori summis curis restitutam, quàm iniquè, & impudenter recentes portæ Inferi invectæ sunt; & quò sol Cœlum gyrat eò acrius adinventionibus, fraudibus, mendaciis, decipulis, cavillis, dicteriis insurgere progrediuntur, novas semper pro uniuscujusque arbitrio, ex hodiernis fontibus, versiones proferendo in medium, ut suo jam tempore venerabilis Bellarminus meritò quereretur: *hoc autem*, inquit, (*b*) *nostro sæculo iterum, ad illam ætatem rediisse videmur, in qua omnes qui aliquid poterant, continuo sacros libros transferebant. Siquidem recentiorum, ac præsertim Hæreticorum Latinæ interpretationes numerari vix possunt*. Si caussam inquires cur cisternas istas fodiant, cisternas tam dissipatas, quidquid reor apertè dicam. Probè noscunt, Vulgatam veterem qua utimur esse Davidicam Romanæ Ecclesiæ turrim, validissimis propugnaculis ædificatam, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium; (*c*) noscunt quoque ex hu-

(a) *Cap.* XII.
(b) *Lib.* XI. *de Verbo Dei cap.* VIII. *col.* 87. *B.*
(c) *Canticorum cap.* IV. *v.* 4.

hujusmodi mystica turri, Romanam Sedem semper petiisse armorum panopliam ad debellandos perditissimos refractarios, Arianos, Donatistas, Macedonianos, Valentinianos, Apollinaristas, Gnosticos, Pelagianos, Nestorianos, Eutychianos, Monothelitas, Iconoclastas, Valdenses, Albigenses, Fraticellos, Wicleffistas, aliosque id genus male feriatos homunciones; noscunt tandem, iis, quæ Vulgata vetus complectitur, tam fideliter, plenissimeque respondere Catholicorum dogmata, ut imprudentis omnino sit, ac utroque oculo cæcutientis, agnita Vulgatæ veteris authentia, inde Orthodoxorum dogmatibus adversari, & obsistere; hæc sane Recentiores Hæretici animo volventes atque corde recogitantes, optimum eis visum est consilium, in Vulgatam Veterem deponere omne virus, huic acerrime refragari.

III. Et quoniam *nemo*, inquit Tertul. (*a*) *venenum temperat felle, & elleboro, sed conditis pulmentis, & bene saporatis, & plurimum dulcibus id mali iniicit*, idcirco ementitis pigmentis, atque coloribus fidem Vulgatæ Bibliæ disperdere nituntur, *primò*, momentis, ceù principiis adspectu gratissimis, & acceptissimis, quorum nonnulla ex primoribus lubet percensere. *Fontes quos hodie habemus immunes esse ab omni præcogitata corruptione. Textus Hebraicos veteris Græcosve Novi Testamenti semper fuisse & adhuc esse authenticos, ad quos omnes de Fide, & Religione controversiæ, omnesque versiones probari & examinari debent. Facultatem interpretandi fontes Scripturarum apud quemlibet privatum Spiritum residere. Esse sententiam eorundem Romanorum Doctorum, quod Concilium Trid. in rebus tantum fidei, & morum Vulgatam declaravit authenticam. Authorem Vulgatæ veteris nec Prophetam fuisse, nec erroris expertem. Vulgatam, qua hodie utitur aliam esse ab ea, quam edidit Hieronymus. Vulgatæ verba esse verba hominis, nullimo-*

 de

(a) *Lib. de spectac. cap.* XXVII. *Tom. II. p.* 219. *B.*

de Spiritui S. tribuenda. Et omissis aliis, *Ideo Concilium Tridentinum voluisse Vulgatam esse authenticam, quia tota transformata ad dogmata pontificia*.

IV. Insectantur pariter vulgatam de innumeris pene erroribus & mendis criminando; adeo ut Calvinus, teste clarissimo Bellarmino (*a*) eò dementiæ processit, ut minime dubitarit evomere: *adeo nullam esse in Vulgata editione integram paginam, ut vix tres sint continui versus non insigni aliquo errore fœdati*; cui de proceribus Protestantium adstipulati, & fideliter respondentes, fucoso pretextu, vel dispellendi a Cœlo Christiano infusam a principe tenebrarum caliginem, vel accendendi lumen sacræ scripturæ si non prorsus extinctum saltem sub modio positum, absconditumque, vel faciendi medicinam sæculo nostro tot veterum, a quibus abfuit Linguarum donum, minus aptis interpretationibus irretito, vel revocandi exacto criterio ad suam originem omnia, nimia quorundam credulitate, magnis tenebris infuscata, subdolo demum, ac fallaci colore zelandi Religionem quoad Bibliorum integritatem, haud veriti sunt, sine populi suffragio prætores agere, pedem figere super cathedram Moysi; & heinc allegatis nuper propositionibus nixi, Vulgatam de erroribus & mendis ubique notant, præfracteque accusant. Tales profecto sunt Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Junius, Whitakerus, Munsterus, Fagius, Castalio, Drusius, Scaliger, Casaubonus, Cappellus, Scultetus, Grotius, Amama, Bochartus, Ludovicus de Dieu, Daniel Heintius, Croius, Buxtorfius, Usserius, Boetius, Mortonus Dunelmiensis, & ut multo plures missos faciam, tres recentiores Joannes Clericus, Buddæus, & Millius, quorum omnes in scripturam adnotationibus, Commentariis, Tractatibus, aliisque operibus, quàm frequenter, erroribus refertam, Vulgatam nostram traducunt.

V. Æquiorem præ cæteris Romanæ Ecclesiæ hostibus, Bria-

(a) *Lib.* XI. *de verbo Dei cap.* X. *Tom. I. p.* 94. *D.*

Brianum Waltonum hac in parte visum fuisse putabis, ut qui de Vulgata Latina differens (a) eam magni, affirmat, faciendam, & non temere proscindendam, tum propter ejus antiquitatem & usum generalem per Occidentem, tum propter præcipuum ejus Interpretem Hieronymum: & revera Simonius Waltonum utpote Religionis Anglicanæ episcopalium, parum a Romana discrepantis, in suo opere concinnando Catholicis favisse notat. *Anglicana*, inquit (b) *episcopalium religio parum a Romana discrepat si faciem & ceremonias spectes, unde eorum scriptores multo propius ad fidem & sententiam Catholicorum quam præsbyterianorum, qui toti Genevenses sunt, & Calviniſtæ accedunt. Id primum monere volui ut Waltonus in suo opere concinnando animus & affectus hinc pernosceretur*; veruntamen, si me non fallit opinio, Ecclesiæ Romanæ ac Vulgatæ ingens malum, longeque gravius Waltonum molitum fuisse arbitror, quàm cæteri Protestantes.

VI. Namque, si qua in bonis litteris intelligentia valeo, non mirum censeo esse, quod quis Orientalium linguarum peritiam nactus, totus unice ad conferendam Vulgatam cum ipsis fontibus aliisque versionibus incumbat, & ad fidem illius grammaticæ quam assecutus est, probet, vel non probet, vel reprobet lectionem antiqui Interpretis. *Hoc genus studii*, merito scripsit Zegerus (c) *non magnum requirit acumen ingenii, aut insignem aliquam eruditionem*; & sane quum non nisi officium grammaticuli agatur. Quod permagni interest, ac multi plàne opus sunt humanarum, divinarumque facultatum oculi, profecto est, ante omnia revocare ad rigorosam crisim, & exacto criterio, minutatimque per singulas partes perscrutari; utrum propositiones numero III. allegatæ, sicut & aliæ, de quibus in operis decursu excitabitur sermo, veræ sint, stabi-

(a) *Proleg.* x. §. *ultimo p.* 362. *tol.* I.

(b) *Lib. III. cap.* XXI. *histor. Crit. veteris Testamenti p.* 103.

(c) *Peroratione post Epanorthoten, seu castigationes in novum Testam. Apud Crit. Sac. Tom. V. part. II. p.* 2135.

biles, firmæ, pro ratisque habendæ; quoniam si de veritate non constant, ingenue fateor, tot errorum, mendorumque cumuli, quos isti grammatici in Vulgata esse congerunt, aliud ni fallor, mihi non esse videntur, quam conspicua palatia super arenam constructa, scipiones arundinei, cassiculi aranearum, lampades sine oleo, nubes aqua carentes, aut a ventis circumactæ. Cui ne Philologo viro, imo & tyronibus dialecticis exploratum non est, ex propositione antecedente, consequentiam vim suam, & omne robur mutuari, adeo ut ea negata vel infirmata, nihil in ista subsistentiæ remaneat? Si quis sciolus negata sibi priori propositione, eat probatum illatam, mox tyrones cum risu, cachinnis, subsannationibusque illa opponunt è trivio; *conglutinas testam*, *persequeris ventum*, *pascis eurum*, *attendis somniis*, *seminas in petrosis*. Quid ergo dicemus de indicatis, aliisque Hebraistis, qui totis viribus adhibitis circa consectaria propositionis illatæ, idest in criminando Vulgatam de erroribus ubi a fontibus discrepat, in commendando plus æquo studium Hebraicæ linguæ, ut quisque præsidio hujus ex se se dignoscere valeat errores antiqui Interpretis; & de propositione antecedente, in qua maxima difficultas inest, quæque est fundamentum illatæ: e. g. utrum hodierni fontes adeo puri sint ac integri, ut ad istorum fidem emendanda Vulgata veniat, vel nullum penitus verbum habent, vel præcipiti, festinato, præposteroque negotio quid parvum recitant, magnam ex spoliis aliorum vim auri, & argenti sibi conflantes?

VII. An non Concilium Trid. taliter Vulgatam veterem, quoad omnes & singulas quas complectitur partes, gravissimo decreto declaravit authenticam, ut nemo in futurum, suæ prudentiæ innixus ausus fuisset interpretari sacros fontes contra sensum, quem illa præsefert; sive neminem decere ulla ex parte, corrigere & emendare fontium inspectione antiquum Interpretem? Tametsi in decursu secundæ Demonstrationis id Divina favente gratia abun-

abunde enucleare mihi sit scopo, ut tamen qualecunque specimen strictim proferam, auscultentur quæso verba Præfationis Bibliæ Clementis præfixæ, *solam veterem ac Vulgatam, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia probata fuerat* Tridentina Synodus *gravissimo decreto authenticam declaravit*: & infra *Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus* correctionis Vulgatæ veteris *a Sede Apostolica delectis propositum non fuit novam aliquam editionem cudere, vel ANTIQUUM INTERPRETEM ULLA EX PARTE CORRIGERE, VEL EMENDARE, sed ipsam veterem &c.*, quibus cuique satis perspectum fieri existimo, hujusmodi inhibitionem haudquaquam stare posse cum sententia asserente integritatem hodiernorum fontium, aut ad fidem fontium emendandam fore Vulgatam, aut istam mendosam esse ubi discrepat ab illis: quone aptiori medio nisi ex fontium inspectione antiquus Interpres castigari poterat? quum ergo correctionem, ac emendationem Interpretis Romana Sedes, P.P. Tridentinis inhærens, vetuerit; consectarium profecto est, fontes hodiernos corruptionibus scatere, quoad authentiam Vulgatæ veteri postponendos; atque ita si hæc est Romanæ Sedis sententia, hanc sane præfatis criticis primo incumbebat liquatis momentis infirmare, & postea triumphum ducere de tot mendis, quos orientalium linguarum præsidio, & inspectione primigeniorum Textuum in Vulgata comperisse gloriantur.

VIII. Secus vero Brianus Waltonus, quippe qui non modo hujuscemodi recta agendi ratione aggressus est præsentem provinciam (*a*) sed tanta quoque cura, labore, & summo studio, ut fere omnia priscorum dicta, & posterorum dicenda in patrocinium præfatarum propositionum, quibus Vulgatæ authentia atteritur visus fuerit agglutinare; tanta fucata eruditione, ut non nulli quoque ex

[a] *Proleg. in Biblia Polyglotta.*

ex Catholicis, licet abſimili conſilio, in quibuſdam adſtipulati ſint: dicam plus, ut non ſine animi amaritudine, minime virum orthodoxum defuiſſe invenerim, qui multiplici plagiario Waltoniana momenta Catholicos inter evulgarit. Itaque, ut nullus Waltono cauſſam Hæreticorum melius, adcuratiorique criterio tutatus eſt, ita teſtimonium Simonii de judicio lato ſuper ſcriptis Waltoni; haud exactum agnoſco: Hæretici omnes velint nolint, Waltono hac in re, opus eſt, deferant primas; & Catholici tandem, quibus Congregatio generalis S. R. & univerſalis Inquiſitionis facultatem conceſſit legendi Hæreticorum libros, cum nota inſenſiſſimi authentiæ Vulgatæ veteris, Waltonum, monitum velim conſiderent, atque legant. *Levius eſt*, pulchrè ſcripſit Hieronymus (a) *profeſſum inimicum cavere, quam hoſtem latentem ſub amici nomine ſuſtinere.*

IX. Iſthæc quorſum ſpectat oratio? *Primò* ut qualecunque indicium habeas adinventionum, decipularum, & graviſſimorum laborum quibus moliti ſunt Novatores, & nituntur veterem Vulgatam carpere & vellicare; idque ne teſtimoniis iſtius convicti ad Romanam Eccleſiam, a qua violenter defecerunt, jure redire teneantur. Nihil certe hoc pejus ſuggerere poterat diabolica fraus, quum hoc in uno inſtillato mendacio, non modo omnes pene complexa eſt errores, ſed ipſam veritatem, qua illuminari poſſent, ab illorum cordibus miſere avulſit. Quod ſi mihi propter iſta, ceu in vigilia ſomnianti quis ſucenſeat, faxit Deus; ſic namque pro indubio & explorato haberem, fore, nedum Catholicis quos benevolos adjutores exopto, ſed ipſis quoque Hæreticis arrideat, ſi principia, quibus Vulgatam de erroribus, & mendis notant, probarem ſubleſtæ eſſe fidei, forteque infirma, penituſque falſa. Haud hoc in caſu partium ſtudio abrepti, ſed veritatis amatores, quos ad fatum nobis eſt habere ſe ſe plane oſten-

[a] *Lib. II. Apolog. in Ruffinum in fine Tom. II. p.* [illegible].

ostenderent; sicque ad Romanæ Ecclesiæ sinum humiliter redituros securioribus, magisque lætis nobis in votis esset.

X. *Secundo* ut deprehendatur quantùm Romanæ Ecclesiæ sit fructui pro quolibet, vel apiculo, veteris Vulgatæ editionis, cujus *Textus*, sunt verba Clementis VIII. (*a*) *summis laboribus*, *ac vigiliis* (est) *restitutus*, *& quàm accuratissime mendis expurgatus* pro viribus decertare. Et vero, semel philologicis momentis statuto, nullum penitus in Vulgata Clementis mendum esse correptione dignum, sive esse probatu difficile vel unicum mendum in ea reperiri, adeo Hæreticorum scrutationes circumseptæ redduntur, ut de præsenti compede nullimode valentes jure eruere pedem, opus est, non modo sinceritatem Vulgatæ, sed omnia Romanæ Ecclesiæ dogmata, utpote consectaria iis quæ ea complectitur, ultro libenterque agnoscant. *Convince me*, ita Mersennum, ex Ordine PP. Minimorum lacessebat Sixtinus Amama (*b*) *non Ecclesiæ Romanæ sed sacræ Scripturæ auctoritate*, *& dabo manus*. Speciosissimum Hæreticorum dictum, ut quò gratissimum in cortice eò medullitus vaferrimum. Nomine Scripturæ haud Vulgatam intelligere volunt, sed hodiernos fontes, qui tum propter constuprationes quas contraxerant, tum ob multiplicem quam admittunt interpretationem, tum propter varias lectiones in exemplaribus exhibitas, tum tandem (omissis aliis) propter jurgium eorumdem Hebraistarum in præscribendis quibusdam grammatices regulis haud consentientium, plane evenit, ut quemadmodum nihil certi, ac tuti ex fontibus erui potest, ita latum semper eis suppetat effugium eludendi Romana dogmata, ubi ex fontibus desumere Catholicis arrideret. Hujusmodi ergo Hæreticorum stropham invicte occupabimus, cum rite demonstretur, Vulgatam quoad omnia esse veram, canoni-

B cam-

(a) *In Diplomate Vulgatæ hodiernæ præfixo*.

(b) *Epist. & Præf. ad Comment. sui præceptoris Joannis Drusii in Prophet. minor. apud Crit. Sac. Tom. I. part. 1.*

camque Scripturam; quoad omnia fontibus hodiernis præferendam; si non materialiter, formaliter saltem esse illud penitus idem Dei Verbum, Sacris Scriptoribus divinitus actis, afflatum. Quo adcurate eruditeque deprompto, aut Dei verbum existere, opus est, Novatores inficientur, sicque misere in Paganorum incidere, Atheorumque lacunas; vel Vulgatam sub nomine Scripturæ adoptantes, in eandem fidem Romanæ Sedis, atque sententiam manibus pedibusque descendant.

XI. *Tertio* ut consilii, qua Waltonum frequentius hisce in pagellis appello, ratio intelligatur. Ut præ cæteris Heterodoxis hic adcuratius, eruditiusque susceptam palestram exercuisse apparet, ipsius momenta utpote gravis ponderis magni faciunt, magnoque plausu proferunt hodierni eruditi; ita mihi arbitratus sum incubuisse onus, potissimum adserta Waltoni revocandi ad crisim, ea interdum infirmando, & interdum ipsius sententiis aliorumque Hæreticorum, asseverationes meas restaurando; eo inhærens monito Augustini: *si quæ*, inquit (*a*) *forte & fidei nostræ accomodata dixerunt*, (Gentiles Philosophi) *non solum formidanda non sunt, sed ab eis tamquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda.*

XII. *Quarto* ut mihi æquiori benevolentia indulgeatur, si quid comperiatur per inscitiam, aut incogitantiam, sive oscitantiam hoc in opere elapsum. Argumentum siquidem susceptum (ut neminem eruditum latet) perdifficile, arduum, ac nimis est operosum, quam maxime hisce nostris temporibus, quum Hæretici, nullo excepto, cum non paucis de Romana Ecclesia Criticis, eò eruditiores habitum iri confidunt, quò dono linguarum freti, ex collatione fontium, & præcipuarum Versionum nova, in Vulgata castigata a S. Sede, menda invenisse testantur. Argumento tam spisso adnectitur satis superque comperta propriæ mentis tenuitas, vix improborum laborum malleo

(a) *Lib.* II. *de Doct. Christiana Cap.* XL.

leo vulgari quadam eruditione tincta, quæ si è regione ingeniorum poneretur, nequidem forte digna erit exosculari vestigia; heinc tanta, jure a me abest, persuasio, arrogantia tanta, tanta temeritudo, quod omnia quæ scribam, pro compertis, atque indubitatis habenda sint, quod nusquam aberrarim a scopo, in nullo offenderim, in nullo sim falsus, nuspiam allucinatus. Hoc in prærupto negotio, quod multis facessit, id unum cordi fuit, potius meticulosum agere; ne scilicet vel per digitum transversum, quod dici solet, vel unguem latum discederem ab eo, quod magis Hæreticis adversatur, & Romanæ Ecclesiæ confert, quàm eorum sectari vestigia, qui in Vulgata, summis Romanorum Pontificum curis, pristino nitori restituta, sordes corrigendas esse testantur: illud Aquilini Doctoris egregium proloquium animo semper revolvens: *errare possum, hæreticus esse non possum.* (a) *Pius labor*, & hanc Hieronymi (b) sententiam aptare lubet, *sed periculosa præsumptio, judicare de cæteris ipsum ab omnibus judicandum: senis mutare linguam, & canescentem jam Mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus cùm in manus volumen assumpserit, & a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare, quod lectitat, non statim erumpat in vocem*, me pium, sed incautum, me clamitans inconsultum, audacem novatorem, qui audeam affirmare, & suadere quod ab omnibus, fere hodiernis eruditis, vel reiicitur, vel ægre fertur? Adversus quam invidiam hæc me causa consolatur, quod veritas minime valet in duobus oppositis principiis inesse, & insuper si omnes ratiocinationes meas quas humiliter examinandas submitto, quis christiana caritate, *omnes*, repetam, ostendet neque accuratas, neque rem ita, atque mihi visum est conficere, haud pertinax ero, haud cristas erecturus, quin ad palinodiam me paratissi-

B 2 mum

(a) *Apud Zegerum cit.*
(b) *Præfation. in Evangelis. ad Damasum.*

mum spondeo, si Dominus, post fraternam correctionem, spatium vitæ indulserit.

XIII. Ultraquamquod persuasum cuique iri cupio, haud me primum, noviterque propositam spartam periclitari, ut in eo quis me offendisse incuset quod solemniter Ecclesiasticus vetuit: (*a*) *Nec coneris contra ictum fluvii*, vel ut alii evulgare pro more habent: *ne contra fluminis tractum eas*, quum difficile profecto sit, nimisque periculosum niti adversus flumen, præsertim si rapide & citato feratur cursu. Nuspiam enim filios inter Romanæ Ecclesiæ desuerunt viri graves probatæ pietatis, ac eruditionis qui deprompturn eam ivere, atque probatum. Ludovicus de Tena (*b*) *Resolvitur*, difficultas, *per Vulgatam Latinam debere corrigi Hebræos codices, non è contra . . . Ratio a priori est, quia regula, ad corrigendum aliquid, debet esse certior, saltem, quoad nos, ut ita possit regulare: sed de Latina Vulgata constat ex fide, esse authenticam in omnibus, & per omnia . . . de reliquis vero, id non liquet, sed probabiliter solum tenetur: ergo potius Hebræa, (quæ modo est) per Vulgatam Latinam est corrigenda, quam e contra*. Et paulo infra laudat Clementem VIII. *qui unam Vulgatam correctam imprimi faciens, & nobis tradens, præcipiens, ut deinceps nonnisi per hanc imprimantur vulgatæ*. Guido Michael le Jay (*c*) *Pro certo*, inquit, *atque indubitato apud nos* (catholicos) *esse debet, vulgatam Editionem, quæ communi Catholicæ Ecclesiæ lingua circumfertur, verum esse, ac genuinum Sacræ Scripturæ fontem; hanc consulendam ubique; inde fidei dogmata repetenda. Quod vero Hebræo, aliisque contextibus minus quam vulgatæ versioni ducimus deferendum, nemo equidem nos erroris redarguat, nisi Evangelistas etiam ipsos, Apostolos, & priscos omnes nascentis*

(a) *Cap.* 5. *v.* 32.
(b) *Lib.* 1. *Isag. difficultate* IV. *Sect.* 1. *pag.* 18. *a tergo col.* 1.
(c) *Præfat. in Polyglott. Regiam*.

ſcentis Eccleſiæ PP. ſimul audeat reprehendere: quippe qui non ex Hebræo fonte, ſed ex verſione 70. Sacrarum auctoritatum monimenta repetiere: Joan. Morinus (*a*) *Dico inſuper Vulgatam verſionem, ipſis fontibus, hoc eſt codicibus, ipſa Prophetarum, & Apoſtolorum manu deſcriptis longe ſimiliorem, & conformiorem eſſe, quam nunc ſint Originariorum linguarum Textus;* Ramos, & Pineda (*b*) affirmant; Vulgatam in omnibus ſuis partibus eſſe Canonicam, ipſique eandem fidem in omnibus deberi, ac ſi eſſet originalis Scriptura. Recentior tandem, (ut alios prætermittam, de quibus inquit Waltonus (*c*) *alii nullum, vel leviſſimum errorem, Vulgatam continere dicunt, præſertim poſt correctiones Sixti V. & Clementis VIII.* Antonius Caſinus (*d*) *Aſſertio, inquit, noſtra hæc eſt. Editio Latina Vulgata qualis eſt a Tridentino approbata, hoc eſt, qualem eam habemus ex emendatione Sixti V. & Clementis VIII. proprie, & per ſe proxime, ut interpretatio, & talis interpretatio eſt a Deo, vel dictata eſt Interpreti; vel adoptata, aſſumpta, elevata, aut quoquo alio modo ſignificari placeat, quod Deus illam velit haberi perinde, ac ſi eſſet Scriptura prorſus originalis; & propterea ſic eſt habenda.* Non igitur novam, peregrinamque opinionem in medium profero, ſed novis potius obſervationibus, quæ haud parvo mihi fuere labori atque moleſtiæ, priorum Catholicorum ſententiam firmabo: qua de cauſſa decretiſſimum mihi eſt, præcipuas aſſertiones meas ad aliorum opera, pro re nata, traducere; ea tamen lege, ut non tantum ſpicas ab eis feliciter collectas ſuppeditem, ſed eorundem quoque inſequens terga, ac pro meo modulo colligens ſpicas, novum potius, quàm ſpicatum ſpicilegium faciam.

XIV. Famoſus profecto ſcrupulus ſupereſt hoc in veſtibulo

(a) *Lib.* I. *Exercit.* VI. *cap.* XII. *n.* 10. *pag.* 303.
(b) *Apud Joan. De Silveira in opuſcul. Reſolut.* IV. *n.* 541. *col.* I.
(c) *Proleg.* X. §. 10. *p.* 358. *col.* I.
(d) *In Encyclop. proleg.* I. *diſput.* 5. *pag.* 39. *col.* I.

bulo eximendus, cujus persuasio, quæ omnium fere mentes hodie tenet, fuit tempus, animum quoque meum ocupasset: nimirum ad hujusmodi perlustrandam Provinciam neminem idoneum nisi Hebraicam Græcamve linguam, pro communi celebri eruditorum usu, calleat; ea sane lege qua de coloribus nequit cæcus sententiam ferre, & Sycophantarum & Postellorum est de ignoratis disserere. Heinc me, quippe qui rebus tantum Theologicis perpetuo addictus, cuique neque a longe datum fuit orientalium linguarum salutare fores, tanto præjudicio abreptum, rei bene conficiendæ haud semel desperatum ivi: mihi tamen de negotio, quod pro religioso Zelo Vulgatæ nostræ, animum die noctuque subigebat, pensiculatius sæpiusque cogitanti, multa tandem occurrerunt, quæ præfatam linguarum peritiam, quantum ad susceptum attinet, minime mihi necessariam esse fuere consilio. Verùm enim verò si qua in eo, qui hanc palestram exercere contendit, necessario flagitatur orientalium notitia, profecto, ut ex se se valeat tam fontium, quàm antiquarum versionum plures codices consulere, quibus ad invicem exacto criterio collatis, propriis oculis deprehendere, si quæ menda, cujusque sint generis, utrum gravis vel levioris momenti, numque in omnibus aut aliquibus codicibus irrepserint; & heinc sine aliorum eruditorum ducatu despicere, ubi a genuinis fontium lectionibus Vulgata hodierna Clementis concordat vel discordat: ast quid mihi dices, si ostendam isthæc, pro eo quod præsens argumentum spectat, minime nobis opus, ut potius hisce temporibus, in quibus Vulgata nitori pristino est restituta, superfluo labori esse?

XV. Juvat me credere, fore ut consensum commodaveris, si sedulo recogites suscepti judicium, non quidem ex inspectione Hebræorum Græcorumque codicum, bene verò Latinorum antiquorum Bibliorum, & Commentariorum Patrum; tamquam ex argumento certiore ac firmiore

re pendere. *In hac autem*, ita Sixtus V. (*a*) fatur, *germani textus pervestigatione, satis perspicuè inter omnes constat, nullum argumentum esse certius, ac firmius, quam antiquorum probatorumque codicum Latinorum fidem quos tam impressos quam manuscriptos ex Bibliothecis variis conquirendos curavimus. In quacunque igitur lectione plures vetustiores, atque emendatiores libri consentire reperti sunt, ea jure optimo tamquam primigenii textus verba, aut is maxime finitima retinenda decrevimus. Id vero ad. germanam editionem constabiliendam præsidium sicubi desideratum est, tunc sanctorum PP., veterumque expositorum enarrationes, quibus diversa scripturarum loca, & libros illustrarunt subsidio fuere, in quibus quidquid è re nostra observatum fuit, id in hujus operis partem adscitum est. In iis tandem, quæ neque codicum, neque doctorum magna consensione satis munita videbantur, ad Hebræorum, Græcorumque exemplaria duximus confugiendum, NON EO TAMEN, UT INDE LATINI INTERPRETIS ERRATA CORRIGERENTUR.* Hactenus Sixtus V. Quibus vides in præfato correctionis Vulgatæ negotio, inspectionem Hebraicorum & Græcorum codicum postremam tenuisse partem, & eo tantummodo in casu adhibitam, ubi ex solis Latinis codicibus nihil certi tutique erui poterat. Et jure quidem, eo quod facile creditu est, ut majores nostri qui ex Hebræis & Græcis versiouem Latinam fecerunt, puriores atque exactiores codices orientalium exemplariorum habuerint, quam hodie nos. *Facile*; sunt verba præfationis Biblie Clementis præfixæ, *fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt: qui fortasse, tam longo tempore identidem describendo, minus puri, atque integri evaserunt.*

XVI. Preterea summis laboribus, ac vigiliis restituto per

(a) *In Bulla Æternus ille Cœlestis ubi explicans consilii rationem, quam in perpolienda Vulgatam veterem tenuit.*

per S. Sedem Sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis Textu, & sub Clemente VIII. *ultimate* expurgato, minime uti canonicus fidelibus propositus est, in quantum hodiernis fontibus fideliter responderet; sed potissimum, imo dicam unice, quia, idem profecto Textus est, quem triumviralis S. Hieronymus, vel ut Interpres, vel ut Corrector, vel ut Revisor in *consummatione* edidit; quia, de integritate, sinceritate ac præstantia hujus Hieronymianæ translationis extant egregia veterum Ecclesiæ Procerum testimonia; quia, hanc Hieronymianam secuti sunt viri doctissimi Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, cæterique omnes, qui post Hieronymum adusque tempora Clementis VIII. mundo illuxerunt: hæc dubio procul tibi præsto erunt si præfatam Præfationem consultum eas. Quod si postea Sixtus V. in correctionis negotio ultimas partes hodiernis fontibus detulit, & eodem, sub Clemente VIII., *ultimate* perfecto, Vulgata hodierna sine respectu ad hodiernos fontes uti canonicus fidelissimusque scripturæ Textus fidelibus proposita est, quis heinc non colliget, fontium quos hodie habemus inspectionem, & consequenter Hebraicæ Græcæve notitiam pro minimo, ni dicam flocci penitus, hoc in rerum themate fore habendas?

XVII. Quid quod hodie, quotquot sunt Bibliorum orientalium exemplaria, a viris doctis Latio donata sunt? Quid quod vix exigua antiquæ Hebraicæ, Græcæque notitia hodie in mundo habetur, ut suo loco eruditorum calculo ostendemus? Quid quod hodierni fontes nec cum iis congruunt quibus Hieronymus usus est? (*a*) Quid quod ii qui allegatam linguarum orientalium necessariam peritiam astruunt, interdum magis confidunt Augustino, a quo Hebraica abfuit, (*b*) quam Origeni (*c*) & Hieronymo

(a) *Vid. num.* 69. (b) *Vide n.* 103. *& seqq.* (c) *V. n.* 17. *&* 18.

mo (*a*) hebraicandi facultate ad plenum inſtructis? Quid quod nec primus ego ſum, nec de primoribus qui cum Hebraicæ imperitia hance in arenam deſcendo? Ultro tandem libentiuſque arbitror, mihi dederis manus, ſi cauſſam pendere tibi erit accepto, undenam tam evulgata ſuaſio ſuam originem duxerit. Eo namque tempore peritiam linguarum plus æquo commendari cœpiſſe invenies quo Eraſmus, Lutherus, Calvinus aliique ejuſdem furfuris, ut Vulgatam odioſam redderent, mundo perperam ingeſſerunt: *hodiernos fontes ſcripturarum archetypis quam fideliſſime congruere, nec non priſtino, ſupremoque authentiæ gradu gaudere, atque ita Vulgatam Latinam, iis omnibus in locis vitiis ſcatere, atque emendandam, ubi ab iſtis diſcrepat:* (*b*) quo ſtatuto ſyſtemate, conſectarium profecto eſt ter neceſſariam nobis eſſe Hebraicæ, & Græcæ peritiam ad hoc ut valeremus, ad perpendiculum fontium Vulgatam emendare. At quum mihi è contra pluſquam probabile ſit, *primò* hodiernos fontes turbide fluere, & a ſecundo ſeculo reparatæ ſalutis authentiam amiſiſſe; *ſecundò* Vulgatam hodiernam eſſe purum germanumque Sacræ Scripturæ Textum, taliter ut cæteri bibliaci codices ſive Latini, ſive quavis alia lingua conſcripti, ubicunque a Vulgata diſcrepant ſint pro corruptis habendi, per contrarium plane conſectarium, atque hoc in rerum themate, ſicut inſpectione fontium non egeo, ita nec & Orientalium linguarum peritia; ſicut ſuſcepti argumenti primò & potiſſimum ex limpido vel turbido fluxu hodiernorum fontium ceu cynoſura, aut lydio lapide judicium accipit, ita opere pretium duxi a puritate vel corruptione eorumdem fontium meum qualemcumque ſermonem ordiri. At quomodo, inquies, Hebraicæ Græcæve quibus primitivi fontes conſcripti ſunt, quum expers ſis, valeas corruptelas deprehendere? Majus propterea validiuſque meum eſt te-

C

(a) *V. n.* 21. *& ſeqq.*
(b) *Videſis n.* 2.

testimonium, quoniam specimina vitiorum quæ proferam in medium, haud me vel ex capite meo confinxisse quis suspicari poterit; quippe quæ ita fideliter percenseam, atque tum ex veteribus tumque recentioribus Hebraicæ Græcæve, peritissimi viri affatim, unoque labio nobis latinis tradiderunt. Si autem, replicabis, quis hodiernus præfatas linguas callens, depravationum exempla quibus tuam conaris probare sententiam, inficiabitur, quò tunc confugium petes? quum incredibile sit nuper citatos veteres atque recentiores quibus innitar, longitudine tam loci, quàm temporis hinc inde dispersos conspirare potuisse in iisdem conscribendis mendaciis, idcirco mihi haud dubio erit cavilloso adversario ita vicem referre: aut non bene legis, aut non bene legere fingis, aut saltem tuus te fallit codex. Haud infrequenter adjectum est *hisce nostris temporibus*, *hoc in rerum themate*, vel quid simile, ne quis jure mihi id queat vitio vertere a quo longissime absum: & ipse quoque fateor obtestorque linguarum orientalium studia & studiosos, fructui semper fuisse & esse visibili sponsæ Christi; quamobrem suo loco tam de utilitatibus quàm abusu mihi erit instituere Sermonem (a) satis tandem superque vides quæ mihi incitamento fuere, ut præfatam, de requisita peritia Orientalium Linguarum, suasionem non magni fecerim, quæque ea consilii ratione longius protrahere sum arbitratus, ut pro data opportunitate quid, sentientibus oppositum, reponendum sit, scire te velim.

XVIII. Ut præfationi tandem imponam fastigium, si *in eum scopum*, probe animadvertit noster Frassenius (b) *præcipue collimant Adversariorum nisus, ut scripturæ Sacræ antiquitatem, authoritatem, & sinceritatem dubiam faciant*; dum enim unus criticus sic, alius verò sic, & tertius, atque quartus, alio atque alio modo hodiernos fon-

(a) *V. n.* 132. *& seqq.*
(b) *Disq. Biblic. præf. ad lectorem.*

fontes Latino sermone vertunt, necessario consequitur, neque ex fontibus, neque ex versionibus Latinis aliquid certi affirmari posse; & insuper si Vulgata, qua Romana Ecclesia utitur, cuique confidit hodiernis fontibus postponetur, adeo ut etiam hac nostra ætate in qua pristino nitori eam restitutam habemus, licitum erit ex ipsa recurrere ad fontes, indispensabiliter quoque consequitur, neque in Romana Ecclesia esse regulam aliquam infallibilem & certam pro dubiis aperiendis. *Hac nostra ætate*, olim scripsit Clarissimus P. Joan. de la Haje (*a*) *non posse aliquem in controversiis & disputationibus seu lectionibus, verba aliqua Vulgatæ translationis reiicere, & ad exemplaria Hebraica recurrere, quia si in disputationibus, & controversiis liceret recurrere ad exemplaria Hebraica, rejecta editione Vulgata, nulla nobis restaret via convincendi Hæreticos, ex sacris litteris; nam quoties Hæreticus aliquo testimonio pene esset convictus, ad Hebraicum codicem aliter habentem clamaret, ET ITA NON ESSET IN ECCLESIA CATHOLICA REGULA ALIQUA INFALLIBILIS, ET CERTA PRO DUBIIS APERIENDIS.* Si hæc vera sunt, arbitror (iterum repetam) minime de Romana Ecclesia, ejusque clarissimis piisque filiis malemereri, si eò unice mea vota hac in qualicunque opella tendunt, ut probarem Verbum Dei jamdudum a Prophetis, & Apostolis exaratum, in Vulgata Latina jussu Sixti V. correcta, & authoritate Clementis VIII. edita dumtaxat, atque solummodo contineri certò, determinate, & integre, nimirum, quoad omnes & singulas particulas. Libet tandem præclara, nuspiam satis laudati S. Hieronymi, refricare verba: *Post priorum studia in Domo Domini, quod possumus laboramus* (*b*) Certe sibilabunt Hæretici, pro sputo me habebunt, eventilabunt apices meos, quid? *magis caritate* (Catholicorum) *provocabor ad stu-*

(a) *In Biblia max. proleg. sect.* XVI. *cap.* III. *tom.* I. *p.* 80. *col.* 2.
(b) *Epist.* 104. *ad Desiderium tom.* 3. *p.* 670. *A.*

ſtudium; *quam illorum detractione*, *&* *odio deterrebor*: (*a*) Multi fortaſſe, ex hodiernis criticis, ſupercilio cenſorio meum argumentum accipient; *ſed legant prius & poſtea deſpiciant; ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumptione ignorata damnare.* (*b*)

CA-

(a) *Epiſt.* 109. *ad Domnion. & Rogatianum tom.* 5. *p.* 688. *C.*
(b) *Epiſt.* CXVII. *ad Paulam & Euſtochium tom. cit. p.* 693. *F.*

CAPUT PRODROMUM.

MUlta quippe in vestibulo hujus operis mihi præfanda veniunt, quæ ne longius filum datæ præfationis protraxissent, rectum visum fuit consilium, ex eisdem peculiare ceu præcursorium capitulum conficere.

§. I.

Proferuntur in medium Tres Biblico-Criticæ demonstrationes.

XIX. Quum curæ mihi sit tria filiis Romanæ Ecclesiæ parare solida argumenta, quibus valeant adversus recentiores Criticos via, ut ajunt Dialectici, demonstrativa ostendere omnimodam integritatem, atque inter omnia Bibliorum hodierna exemplaria supremam authoritatem Vulgatæ Sixti V. & Clementis VIII.; nemo idcirco miretur, si prætermisso nomine Prolegomenorum Scripturalium, quo quippe titulo præsens argumentum insigniri solet, ea sit præfixa epigraphe: *Triplex Biblico Critica demonstratio.* Omnimodam Vulgatæ Bibliæ sinceritatem, ac supremam auctoritatem ex triplici capite, ut hactenus videtur mihi, recentiores potissimum insectantur; nimirum vel ex discrepantia istius, nonnullis in locis tum cum hodiernis fontibus, quos integros & authenticos esse volunt, tum cum Orientalibus antiquis versionibus, quibus ipsi plus æquo confidunt; vel ex antiquo Interprete Vulgatæ, quem autumant interdum non fuisse assecutum germanum intellectum primigeniorum Textuum, & interdum aliter sensisse atque nos in Vulgata Clementis legimus; vel tandem ex parte Romanæ Ecclesiæ, de cujus privilegio in deligendis & declarandis, sine erroris periculo, Scripturis Canonicis, Hæretici male sentiunt; & ple-

plerique etiam ex Catholicis de ejusdem Ecclesiæ judicio affirmant, Vulgatam non quoad omnes, & singulas quas complectitur particulas, authenticam esse atque canonicam, sed solummodo in rebus fidei, & morum. Heinc mihi, in obsequium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imposito oneri minime deesse censeo, si tribus præfatis adversariorum cardinibus tres sequentes Biblico-Criticas demonstrationes oppono.

DEMONSTRATIO I.

Petita ex turbido fluxu hodiernorum fontium, & Orientalium versionum.

XX. Si quod in Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. jussu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita mendum esset correctione dignum, maxime eo in loco ubi aperte discrepat ab hodiernis fontibus; sed fontes, quos hodie habemus, turbide fluunt; ergo ex aperta discrepantia Bibliæ Sacræ Vulgatæ editionis &c. ab hodiernis fontibus minime probari potest, mendum aliquod esse in Biblia Sacra Sixti V., & Clementis VIII. &c.

DEMONSTRATIO II.

Petita ex infallibilitate antiqui Interpretis Vulgatæ Latinæ, nec non ex fidelissima consonantia Vulgatæ nostræ cum ea, quam antiquus Interpres in *consummatione* edidit, & Occidentalis Ecclesia adoptavit.

XXI. Est probatu difficile Hieronymianam versionem in *consummatione* editam, quamque Ecclesia Occidentalis adoptavit, vel levissimum complexam fuisse mendum correctione dignum; sed Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. jussu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita est illa penitus eadem quam Hieronymus in *consummatione* edidit, & Ecclesia Occidentalis adoptavit; ergo dif-

difficile probatu eſt, mendum aliquod reperiri in Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. & Clementis VIII. &c.

DEMONSTRATIO III.

PEtita tum ex privilegio Romanæ Eccleſiæ, quæ haud errare valet in deligendis, & declarandis Scripturis Canonicis, tum ex ejuſdem doctrina & uſu, quæ ſatis oſtendunt Vulgatam Sixti V. & Clementis VIII. non tantum in rebus fidei & morum, ſed quoad omnes, & ſingulas particulas, Canonicam eſſe atque authenticam.

XXII. Romana Eccleſia privilegium habet haud errandi in deligendis, & declarandis ſcripturis genuinis atque canonicis; ſed difficile probatu eſt Romanam Eccleſiam non delegiſſe, vel non declaraſſe ſinceram & canonicam quoad omnes, & ſingulas particulas Bibliam Sacram Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognitam, & Clementis VIII. auctoritate editam; ergo difficile probatu eſt, Bibliam Sacram Vulgatæ editionis Sixti V. &c. non eſſe ſinceram, & canonicam quoad omnes & ſingulas, quas complectitur particulas; atque ita nullum prorſus mendum continetur in ea correctione dignum.

§. II.

De generali primæ Demonſtrationis dialectico tramite.

XXIII. Quemadmodum veterum recentiorumque dialecticorum animis conſtanti ſemper opinione inſedit, argumentationem demonſtrativam æque ex forma pendere atque ex materia, ita ſuſcepto inſtituto me haud feciſſe ſatis arbitratus ſum, ſi ad ſuppeditandam materiam præfatarum demonſtrationum tantummodo incubuiſſem, formam verò, quæ maximam interdum vim materiæ addit, poteſtque paucis innui, importuno præteriiſſem ſilentio. Ea de

re

re quantum ad primam demonstrationem attinet, ubi in sequentibus capitulis lata materia subministrabitur, eadem materia hic brevi sermone ad dialecticum dialogum redigetur. Incipiam itaque.

XXIV. Si quod in Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. jussu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita mendum esset correctione dignum, maxime eo in loco ubi aperte discrepat ab hodiernis fontibus; sed fontes quos hodie habemus turbide fluunt; ergo ex aperta discrepantia Bibliæ Sacræ &c. ab hodiernis fontibus minime probari potest, mendum aliquod esse in Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. & Clementis &c. Majorem propositionem ubique tradunt Hæretici; *Generaliter loquendo*, ita Waltonus (a) *versiones omnes secundum Textus Originales corrigi, & examinari debere. Nam cum omnes versiones, tamquam rivuli ex codicibus originariis fluxerint, necesse est, ut quidquid veritatis in versionibus inveniatur, illud a fontibus habuerint. Eatenus enim versio vera dici potest, quatenus cum Textu Originario concordat.* Et alibi (b). *Qui vero Concilio* (Tridentino) *se non teneri putant, aliam auctoritatem Vulgatæ non tribuendam sentiunt quàm aliis versionibus, quarum nulla authentica . . . nec aliam auctoritatem habent, quam quatenus cum fontibus conveniunt, eosque fideliter exprimunt.* Opus est ergo minorem propositionem, in qua permagna inesse videtur difficultas, sedulò probemus. Et non aliud sane nobis curæ erit in *primo* & *secundo capitulo* præsentis demonstrationis affatim ostendere, quàm turbidum fluxum hodiernorum Originariorum Textuum, quò Lectorem mitto; sicque ex discrepantia Vulgatæ Sixti & Clementis cum nonnullis lectionibus hodiernorum fontium minime eruitur, Vulgatam iis in locis mendosam esse ac vitiosam.

XXV.

(a) *Proleg.* VII. §. 25. *p.* 287. *col.* 2.
(b) *Proleg.* X. §. 10. *p.* 358. *col.* 1.

XXV. Tametsi neminem priscorum Catholicorum hactenus vidi, qui hanc vel consimilem demonstrationem confecerit, nuspiam tamen defuerunt, qui Hebraicam Græcamve callentes se se Hæreticis opposuere, ostendentes quasdam oculares corruptelas, quibus hodierni fontes sunt obnoxii, quibusque Hæretici tandem convicti, ne viderentur cæcutire in medio lucis volentes nolentes easdem agnoscere coacti sunt, & suo etiam calculo probare; ut suo loco adfulgebit (a) Quid tum? arma eos deposuisse fortasse putabis? imo ne de victoria, quoad omnimodam integritatem & authentiam Vulgatæ veteris Catholici gloriarentur, & hunc alium excogitarunt cavillum.

RESPONDENT ADVERSARII.

XXVI. Textus originarios pro omnium antiquorum librorum fato sordes aliquas contraxisse, quæ minime ad capita Religionis spectant, nemo ire potest inficias; at nobis e contra efficacia præsidia & adjumenta suppetunt, quibus valemus in fontibus discernere lectionem veram a turbata. In primis præsto sunt nobis versio Septuaginta Interpretum, & vetus Itala quæ præ cæteris hodiernis Bibliorum exemplaribus post originarios fontes magni profecto faciendæ sunt; tum quia sunt antiquissimæ, tum etiam Ecclesiæ Proceres in publicis privatisque lectionibus, officiis & commentariis, præfatis versionibus usi sunt; & tandem ubi Sixtus V. versionem Septuaginta a mendis irrepsis reddidit perpolitam, eruditissimi Protestantium, & Catholicorum veterem Italam è regione versionis Septuaginta in polyglottis ediderunt; & nuper D. Petrus Sabatier ex venerandis monimentis, pro suis viribus, reparasse testatur. (b) Habemus quoque Textum Samaritanum, quem antiqui Patres magno semper in pretio habuere,

(a) *Cap.* 1. §. 4. & *cap.* 2. §. 2.
(b) *Præfat. generali* §. III. *n.* XIX. *p.* VIII.

præsertim B. Hieronymus, qui pluries ejusdem meminit; contextum Chaldæum, sive paraphrases inter Judæos celeberrimas, versionem Syriacam, jam in ea primæva Ecclesiæ origine, maxima semper in veneratione habitam, versionem Arabicam, quam omnes Orientales Ecclesiæ magnopere venerantur, Æthiopicam tandem & Persicam quæ pariter multùm lucis afferre possunt, si qua dubitatio in fontibus vel in Vulgata, emergat. Fontes enim & præfati Bibliorum contextus mutuas sibi suppetias ferunt; nam ut fons versiones, quum mendæ occurrunt, corrigit, ita versiones e contra valent fontem emendare. *Cumque*, inquit Waltonus (*a*) *ex scribarum incuria, aliisque causis fieri non possit, quin in minutis quibusdam codices* (fontium) *frequenter descripti varient; unde melius stabiliri potest vera lectio, quam ex antiquorum exemplarium & versionum collatione?* Nihil igitur obest turbidus fluxus hodiernorum fontium quibusdam in locis, quominus statuamus Vulgatam Clementis vitiis scatere ubi a fontibus discrepat; quia si emendatis jam fontibus, ad fidem tot antiquorum biblicorum Contextuum adhuc perseverat discrepantia inter Vulgatam & fontes, nemini dubium esse debet, quod Vulgata eo in loco mendum complectatur.

C O N T R A.

XXVII. Contradictionis vitium quo adversarii circumplicantur, vel ex parte te deprehendisse arbitror: an non sæpe atque ubique ipsi deprædicant, hodiernos fontes limpidissime fluere? fontes purissimos esse? eadem omnino verba complecti, atque Spiritus Sanctus sacris Scriptoribus inspiravit? *Jam vero*, sunt verba Waltoni (*b*) quæ a suis assentatoribus passim repetuntur, *Textus Hebræos & Grecos quos hodie habemus cum ipsis Autographis convenire* ... *Con-*

(a) *Præf. ad Polygrotam.*
(b) *Proleg.* VII. §. 10. *p.* 284. *col.* 2.

Constat codices hodiernos eosdem plane esse cum ipsis Autographis, & ab eis [antiquissimis Ecclesiæ Scriptoribus] *fideliter transcriptos:* qua igitur lege modo adversarii concedant originarios Textus sordes aliquas contraxisse, & in rebus tantum fidei, & morum esse authenticos æqui eruditique, quos opto, judices, videant. Certe hæc duo haud simul vera esse patiuntur, vel si non ita adversariis videtur, opus est, fateantur Vulgatam Sixti V. & Clementis VIII. esse quoque versionem purissimam, fidelissimam, eamdem plane esse cum ipso Autographo antiqui Interpretis, & a posterioribus Ecclesiæ scriptoribus fideliter transcriptam; quippe quæ ad ipsorum placitum, levibus quoque sordibus scatet, & in rebus fidei & morum non minus ac hodierni fontes integer est ac germanus Scripturæ Textus; quod sane nuspiam, ut hucusque mihi innotescit, ipsi passi sunt concedere. Altera contradictione pariter laborant, quum dicunt sordes hodiernorum fontium tantummodo irrepsisse injuria temporum, exscriptorum oscitantia, & pro fato omnium antiquorum librorum; siquidem interdum sui ipsorum obliti, utroque pollice taxant in hodiernis fontibus nonnullas etiam palpabiles corruptelas ad præcipua nostræ Christianæ Religionis pertinentes, easdem pariter unice tribuentes versutis fraudibus Judeorum, aliorumque fidei infensissimorum, ut paulo ante indicavimus. Verùm his obiter prolatis jam ad cardinem instantiæ veniam.

XXVIII. Bibliaci allegati Contextus, nimirum hodierna versio Septuaginta Sixtina, vetus Itala, Textus Samaritanus, paraphrases Chaldaicæ &c. multo magis, longiusque hodiernis fontibus insignes spirant constuprationes; adversarii igitur haud bene se gerunt quum expectant lucem accipere ab iis codicibus, qui potius tenebras veræ lectioni offundunt. *Ab immundo*, inquit Spiritus Sanctus per os auctoris libri Ecclestastici (*a*) *quid mundabitur?* & ipsa-

D 2

(a) *Cap.* XXXIV. v. 4

ipsamet incarnata Dei sapientia (a) *Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?* Annon faciliter via fallit ambulantem in tenebris? annon regula debet esse certior ad hoc ut regulare valeat? Restat itaque ut probemus primò & separatim ab aliis Contextibus turbidum fluxum hodiernæ versionis Septuaginta Sixtinæ, cui quippe post hodiernos fontes adcuratiores adversarii primas referunt; quodque Neoterici ægre ferentes multa ad historiam Septuaginta Interpretum pertinentia pro imperio inficiati sunt: postmodum fluxum pariter turbulentum ostendemus aliorum Contextuum, minime tamen vel per umbram nos denegando eas utilitates quas istorum religiosa inspectio & collatio Ecclesiæ Christi attulit, affert, & in futurum afferre potest. Quæ omnia conficient *Caput* III. *&* IV. hujus demonstrationis.

R E P L I C A N T.

XXIX. Libenter fatemur præfatos Bibliorum Contextus originariis fontibus longe impuriores esse, atque magis vitiis refertos; sed ex hoc dumtaxat infertur, nullum unum antiquum exemplar Contextuum, singulariter & solitarie sumptum sat esse, & idoneum ad restituendam germanam lectionem in fontibus & in Vulgata, ubi de integritate dubitatur, quod quippe ultro concedimus; non enim ex inspectione unius vel alterius antiqui exemplaris progressi sumus ad asserendum mendum aliquod in Vulgata Clementis; sed bene multorum, quos insuper juxta regulas sacræ Critices exacto criterio ad invicem contulimus, & cognovimus ab iisdem Vulgatam discrepare. *Notandum est*, audiamus Waltonum (b) *dari media certa, quibus vera lectio, cùm codices discrepant, stabiliri potest; scil. Analo-*

(a) *Luce* VI. *v.* 37.
(b) *Proleg.* VI. §. *6. p.* 272. *col.* 2.

logia fidei, antiquorum scripta, & commentaria, antiquæ Versiones, Codicum antiquorum collatio, maxime vero ipsa scriptura, in qua antecedentium & consequentium consideratio, & locorum parallelorum & similium observatio, multùm ad veram lectionem conferunt. Nam illa lectio, quæ cum antecedentibus & consequentibus & cum locis parallelis consentit, & analogiæ fidei consona est, vel cum aliis bonæ notæ Codicibus concordat, & ex antiquis Patrum Ecclesiæ scriptis corroboratur, proculdubio pro vera & genuina habenda est. Si vero his omnibus pensiculatis, adhuc lectio dubia maneat, liberum esto cuiquam judicium: non enim potest esse alicujus momenti illa varietas, utramlibet elegeris: utraque enim vera esse potest. Et paulo infra referens regulas, quibus Recentiores appofuerunt epitheton *sacræ Critices*, ita pergit: *Inter codices vero ipsos variantes, regulæ quædam observandæ sunt. Primo enim: Quæ ex codicibus antiquioribus elicitur lectio, cæteris paribus, præferri debet ante eam, quæ ex recentioribus colligitur . . . Secundo: Quæ lectio cum pluribus, & melioris notæ Codicibus congruit, præferenda est ei, quæ paucioribus, vel non ita accurate scriptis Codicibus nititur . . . Tertio: Quæ cæteris paribus, sensum fundit veriorem, clariorem & cum antecedentibus & consequentibus magis congruentem, & Codicibus paris auctoritatis confirmatum, præferenda. Quarto: Ubi utraque lectio per has regulas examinata æqualis deprehenditur, non multùm refert, quam sequaris. Tandem est hoc notandum: A recepta lectione non temerè recedendum, nec aliquid in Textu mutandum sine Rectorum Ecclesiæ consensu, quibus Christus curam commisit, & oracula sua concredidit: sed modeste rationes & conjecturæ proponendæ sunt; & Ecclesiæ judicium expectandum.* Hactenus waltonus. Quibus aperte vides, vitia, quibus magis Contextus abundant quàm ipsi fontes, minime obstare quo minus eorumdem inspectio & collatio nobis præsidio sint & adjumento tum ad probanda

non-

nonnulla menda in Vulgata Clementis, tum ad veram lectionem in ea restituendam.

XXX. *Addunt*. Qui præfatam agendi methodum audet inficiari certe ingratus est, temerarius, & invidus; ingratus quidem, quia non agnoscit tot egregios fructus per eruditissimos sacros Criticos divinis Scripturis partos; temerarius quoque quia eam adcuratissimam agendi methodum damnat, quam olim maxima cum laude tenuere Origenes circa emendationem versionis Septuaginta, Hieronymus circa correctionem veteris Italæ, Romani correctores sub summis Pontificibus Pio IV. Pio V. Sixto V. Gregorio XIV. Clemente VIII. in emendatione Vulgatæ Latinæ veteris, & novissime ad hæc usque tempora ex Catholicis & Protestantibus pene innumerabiles viri graves atque probati; invidus tandem tum veterum tum recentiorum eruditorum, quia despectui habet præfatam sacram criticen, propter imperitiam orientalium Linguarum qua forte laborabit, atque ad eam exercendam impeditur. Quid quod sacram criticen damnare, perinde est, ac opponere lapides ne Ecclesia Christi puriores ac exactiores scripturas habeat?

C O N T R A.

XXXI. Hæc, ni fallor, videntur esse potiora ementita pigmenta atque colores, quibus Heretici mundo suaserunt tam usum sacræ Critices, quàm opinionem qua dicitur, ibi Vulgatam Clementis scatere vitiis ubi ab hodiernis fontibus discrepat: heinc velim sedulò scruteris totum *capitulum V.* hujus demonstrationis, in quo non aliud sane curæ mihi erit, quàm affatim differere de præfatis sacræ critices regulis, & ad specialem crisim revocare præfata adversariorum adserta, in apricum scilicet ponendo, quo sensu vera sint, quove decipulosa & falsa.

Addam tandem tria corollaria, quæ licet ex universa

da-

data doctrina consequantur ; nempe I. Hodiernos fontes haud esse authenticos. II. Hodiernos fontes Vulgatæ Clementis neque præferendos neque coæquandos. III. Vulgatam Clementis minime per hodiernos fontes emendandam, sed potius e contra ; quamvis inquam hujuscemodi propositiones ex universa doctrina, ceu consectaria, enascantur , lubet tamen pensiculatius de ipsis differere atque peculiaribus momentis , *capite VI.* quod est postremum hujus demonstrationis, firmare.

§. III.

De Typographicis mendisque in omnibus penitus editionibus Bibliorum Sixti V. & Clementis VIII. irrepserunt.

XXXII. Quamvis sententia nostra sit, nullum in Vulgata Sixti V. & Clementis VIII. contineri mendum correctione dignum, minime tamen velim, vel per somnium, suspiceris viros Catholicos clausis oculis pro canonicis suscipere omnia quæ codices impressi horum Bibliorum complectuntur. Quis enim æquus judex ire potest inficias multos etiam palpabiles nævos, in omnes quippe editiones irrepsisse incipiendo a prima publici juris facta anno 1592. ad usque novissimam editam Venetiis apud Nicolaum Pezzana anno 1754., & pro pene inevitabili omnium typographorum fato, foreque ut in futuris quoque magis vel minus irrepant? Adeo typographis, pro humana imbecillitate difficile est codicem aliquem edere in lucem ab omnibus penitus mendis absolutum, ut apud eosdem illud currat receptissimum adagium: *In patibulo sive suspendio mulctandum fore typographum illum qui primus absque ullo præli vitio opus suum absolverit* . Et sane non obstante quod Sixtus V. vigilantissimo atque ardentissimo studio incubuerit, ne Textus Vulgatæ veteris pristino nitori restitutus typographicis mendis conspurcaretur , adhuc

non

non solum voti compos minime fieri meruit, sed tot quoque vitia occurrisse animadvertit, ut censuerit totum opus sub incudem revocandum. *Sixtus V.* [legitur in præfatione Vulgatæ Clementis præfixa] *divina providentia ad summum sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit* (institutum inceptum a prioribus Pontificibus) *& opus tandem confectum typis mandari jussit. Quod cum jam esset excusum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit, atque decrevit.* Haud minor fuit vigilantia Clementis VIII. quippe qui distincte præcepit ut Textus Vulgatæ veteris *ultimate* perpolitus quàm emendantissime imprimeretur; quoque, ne de Textu in typographia Vaticana excuso vel minima quidem particula mutaretur, adderetur, vel ab eo detraheretur nisi aliquid occurrat quod typographicæ incuriæ manifeste adscriberetur, gravissime inhibuit, ut nemo typographorum tam citra quam ultra montes intra decennium a die IX. Novembris 1592. ausus fuisset exemplar in Vaticana impressum excudere, vendere, proponere, aut evulgare. Propter ista ac dicenda præstat Diploma Clementis hic exscribere,

CLEMENS PAPA VIII.
ad Futuram rei Memoriam.

Cum Sacrorum Bibliorum vulgatæ Editionis Textus, summis laboribus, ac vigiliis restitutus, & quam accuratissime mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostra Typographia Vaticana in lucem prodeat; Nos, ut in posterum idem Textus incorruptus, ut decet, conservetur, opportune providere volentes, auctoritate Apostolica, tenore Præsentium districtius inhibemus, ne intra decem annos a data præsentium numerandos, tam citra,

quam

quam ultra Montes, alibi quam in nostra Vaticana Typographia, a quoquam imprimatur. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc sanctarum scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso, cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de Textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur. Si quis vero Typographus in quibuscumque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam nostræ S. R. E. ditioni in temporalibus subiectis, quàm non subjectis, hanc eandem sacrarum Scripturarum editionem intra decennium prædictum quoquo modo, elapso autem decennio, aliter quàm juxta hujusmodi exemplar, ut præfertur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere, vel evulgare, aut si quis Bibliopola a se, vel ab aliis quibusvis, post datam præsentium, hujus editionis impressos libros, seu imprimendos a præfato restituto, & correcto Textu in aliquo discrepantes, seu ab alio, quam a Typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit, ultra amissionem omnium librorum, & alias arbitrio nostro infligendas pœnas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat: a qua nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit. Mandamus itaque universis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis, ut præsentes litteras in suis quisque Ecclesiis, & jurisdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo observari curent, ac faciant, Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis; non obstantibus Constitutionibus Ordinationibus Apostolicis, ac in Generalibus, Provincia-

libus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus, ac quarumcumque Eccleſiarum, Ordinum, Congregationum, ac Univerſitatum, etiam ſtudiorum generalium juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; ſtatutis, & conſuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac literis Apoſtolicis in contrarium quomodocumque emanatis, & emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latiſſime derogamus, ac derogatum eſſe decernimus. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam in ipſis voluminibus impreſſis eadem, in judicio, & extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die IX. *Novembris* MDXCII.

XXXIII. Quid tum? Quamquam typographus Vaticanus ſub Clemente felicioribus ventis enavigarit atque ſub Sixto V., non ita tamen ut in ſuis quoque ſcopulis non offendiſſet; qua de re ſicut Clemens in præfata Bulla permiſit, quod ſi in Textu excuſo an. 1592. aliquid occurreret, quod typographicæ incuriæ manifeſte adſcribendum foret, hiſce in locis licitum eſſet ab eo Textu recedere, ſive præfata menda caſtigare, ita Romani Correctores, quibuſdam labeculis detectis in voluminibus allegatæ editionis, ſtatim, antequam ſcilicet venderentur, calamo, & alio modo correxerunt, ut ipſe meis oculis probavi in codicibus qui ſervantur in Bibliotheca Vaticana, in Caſanatenſi ſupra Minervam, Eminentiſſimi Corſini, & hujus Conventus S. Franciſci ad Ripas Urbis. Præter iſta quæ aſcendunt ad numerum 18., alia temporis decurſu in iiſdem codicibus detecta fuere, & quum fideles repetitis votis expoſcerent codices Textus caſtigati uſu commodiores & minoris pretii, idcirco vix prima editio, quæ eſt *in folio*, lucem adſpexit, quin mox, nimirum anno immediate ſequenti 1593. alia ſubſecuta fuerit forma, quam vocamus in *quarto majori*,

quæ-

quæque licet maxima ex parte minime contraxerit menda præcedentis editionis , aliis tamen occurrit . Acceſſit tertia Vaticana editio 1598. in *quarto minori* ſub eodem Clemente , & hæc quoque a ſordibus typi haud immunis evaſit; qua de cauſſa Correctores Romani , ut huic fere inevitabili malo opportune providerent , duobus indicibus mendorum corrigendorum , quos antea exacta diligentia confecerant pro Bibliis 1592. & 1593. addiderunt tertium pro editione 1598. , quos quoque ad majorem fidelium utilitatem , omnibus voluminibus hujus poſtremæ editionis , ante Hieronymianas præfationes ad ſacros libros, præfixerunt : *Irrepſerunt* (ſunt verba præfatiunculæ ad præfatos indices) *negligentia operarum in codices Bibliorum Vulgatæ editionis typis Vaticanis excuſos errata non nulla jam antea primæ & ſecundæ impreſſioni affixa : quæ in hac tertia editione repetere , & copioſius annotare libuit, ne lectoris pii animus diſtraheretur , ſi in aliquo forte earum exemplar incideret , cui vel nullus , vel diminutus errorum corrigendorum index eſſet adiectus.* Interim licet per præfatum diploma Papa Clemens diſtricte inhibuerit cuilibet typographo tam citra , quàm ultra montes exiſtenti, ne intra decennium , excepto ſolo Vaticano , auſus fuiſſet excudere Textum a Sixto V. correctum & a ſe editum , tamen annuens porrectis votis Joannis Moreti celebris Antuerpienſis typographi , facultatem tribuit imprimendi eundem Textum nondum elapſo decennio ob cauſſas , & cum clauſulis quas quiſque in ſequenti reſcripto poterit obſervare.

CLEMENS PAPA VIII.

DILECTO FILIO JOANNI MORETO TYPOGRAPHO ANTUERPIENSI

XXXIV. *Dilecte fili , ſalutem & Apoſtolicam benedictio-*

ctionem : Quæ de tua in imprimendis sacrorum præcipue auctorum voluminibus fide, & diligentia, quotidie ad nos testimonia deferuntur, ea nos inducunt, ut te specialibus favoribus, & gratiis libenter prosequamur. Cùm itaque aliàs, Apostolica auctoritate, sub pœnis tunc expressis, cautum fuerit, ne sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis jussu felicis recordationis Sixti Papæ Quinti prædecessoris nostri recognitorum textus, alibi, præterquam in Typographia Vaticana, imprimi posset, prout in literis Apostolicis desuper expeditis, & in ipso Bibliorum volumine impressis latius continetur: Cumque ob locorum distantiam, & portorii onera, & ob alias graves difficultates, & impensas, sacrorum Bibliorum in dicta Typographia impressorum volumina, ad Germaniæ præsertim, & alias ultramontanas regiones deferri vix possint; Nos, tam commoditati Catholicorum illarum partium consulere, quàm Te specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de dilectorum filiorum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationis Typographiæ nostræ sententia, Tibi soli trans Alpes, ut durante decennio proximo, Biblia Vulgatæ editionis hujusmodi juxta exemplar in dicta Typographia impressum, & tibi traditum, quàm emendatissime tamen, & summa cum fide, nullaque facta additione, aut imminutione imprimere valeas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & indulgemus, Teque dicta sacra Biblia excudere, vendere, ac venalia exponere, licite, ac sine ullo censurarum Ecclesiasticarum, aut aliarum pœnarum incursu, posse, nec

ae-

desuper a quoquam quavis auctoritate impediri, molestari, vel perturbari, sicque per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus Apostolicis, ac Typographiæ nostræ Vaticanæ statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis eorum tenoribus, præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI. *Martii* MDXCVII. *Pontificatus nostri anno* VI.

XXXV. Moretus itaque hac facultate obtenta, reapse anno 1599. præfatum Textum in officina Plantiniana excusit, & propter magnam emptorum copiam pluries sequentibus annis recusit, verùm nusquam edidit typographorum mendorum expertem: qua de re P. Henricus de Bukentop (a) septuaginta bene loca collegit in quibus Biblia Vaticana & Plantiniana discordant. Postmodum typographus Parisiensis quoque editioni Bibliorum Clementis incubuit, at neque prioribus typographis felicior fuit: ut enim observat Auctor moniti præfixi editioni Bibliorum Nicolai Pezzana An. 1754. *Tot mendis, editiones Parisina & Antuerpiana scatent, ut Lectori vel oscitanti occurrant*. Et ipsa Nicolai Pezzana editio, quæ hisce nostris temporibus præ cæteris circumfer-

(a) *Lib. III. Lux de Luce cap.* VIII. *puncto* II.

fertur ? & hæc quoque suas spirat sordes, ut infra affulgebit. [a]

XXXVI. Ex quibus colliges *primò* nullum nuspiam extitisse aut extare codicem Bibliorum Clementis, qui aliquibus saltem typographicis mendis non sit obnoxius; *secundò* solertissimam diligentiam adhibitam a S. Sede, ut filii Catholicæ Ecclesiæ Vulgatam veterem haberent etiam a mendis mere typographicis perpolitam. Ex primo plane deprehendes, me haud in præsenti opere tueri typographica menda quæ in Bibliis Sixti V. & Clementis VIII. irrepserant, quasi quod nec & ista correctione digna sint: ex secundo a veritate eos aberrare qui de mente Romanæ Sedis adfirmant, Vulgatam Clementis in rebus tantum fidei & morum esse authenticam, quatenus præter typographica menda & alia quoque vitia complectatur, quæ sint genuini fœtus non quidem typographorum, sed vel ipsius antiqui Interpretis, vel Romanorum Correctorum.

XXXVII. Quamquam me opportuniore loco, si Deus adjuverit, promisi a proposito locuturum de hujusmodi negotio, haud tamen valeo hunc diu retinere conceptum sermonem. Si de mente Romanæ Sedis Vulgata Clementis complecteretur mendum quantumvis minimum antiqui Interpretis vel Romanorum Correctorum dicas, amabo te, cur tantam diligentiam adhibuit, & sub gravissimis pœnis inhibuit, ne typographi auderent vel minimum apiculum de Textu correcto mutare, addere, vel ab eo detrahere? Quis credet Romanam Sedem tam constanti voluntate invigilasse pro custodia cujuslibet litterulæ vel apiculi correcti Textus, si aliunde credidisset non nulla in eodem Textu reperiri, quæ saperent vitia antiqui Interpretis vel Romanorum Correctorum? annon authentiæ Vulgatæ primò & potissimum hujusmodi menda detrahunt? annon Hæretici pro mendis, quæ affingunt an-

(a) *V. n.* XLIX.

antiquo Interpreti & Romanis Correctoribus, quæque in Textu correcto superesse testantur, acriter jamdudum propugnarunt, & acrius hodie propugnant? quam igitur ineptissimum & frustraneum remedium non applicuisset Romana Sedes, si pro eò quod minus interest, insudasset, mendis verò antiqui Interpretis & Correctorum, quæ ipsa credidisset in Bibliis adhuc superesse, quæque in hac serie rerum forent maximi ponderis, nihil penitus providisset? *Addam* in confesso est apud omnes, Vulgatæ Textum ante Sixtum V. & Clementem VIII. authenticum canonicumque fuisse in rebus fidei & morum; quid ergo emolumenti ex tot laboribus Romanorum Pontificum, Romanorumque Patrum Catholici suscepissent, si idem Vulgatæ Textus post Sixtum & Clementem etiam in rebus tantùm fidei & morum authenticus foret? Amplissimus Papa Clemens eo tantum in casu concessit aliquid mutari posse de Textu excuso in typographia Vaticana, ubi manifestus error typographi inveniretur: *ne minima*, inquit, *quidem particula de Textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod typographicæ incuriæ manifeste adscribendum sit*. Nota *τὸ manifeste*, quo certe indicatur non sufficere simplex dubium ad hoc, ut quis possit licite aliquid vel minimum de Vaticano Textu mutare, sed requiritur ut mendum typographicum sit indubium & manifestum; qua de caussa ea tantum præli vitia, testor me mutuo accepturum in sequenti paragrapho a P. Henrico de Bukentop, quæ manifesta esse ex penu quoque meo probavi; cætera vero minime adoptare ausus sum. Nec velim, putes, solum Clementem VIII. in præfatis Diplomatibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetuisse, ne exemplar Romanum, in aliqua vel minima particula deferretur vel mutaretur; sed *iisdem verbis*, testatur Bukentop (a) *scripsit Paulus V. ad Joannem, & Balthasarum Mo-*

(a) *Lib. III. cap.* VII. *puncto* II. *pag.* 506. *col.* 2.

Moretos in Brevi dato 1611. Item Urbanus VIII. in altero expedito 14. *Augusti* 1641. Quod si postea Romana Sedes non obstante quod crederet, in Textu correcto superesse menda Interpretis vel Correctorum corrigenda, adhuc tam districte, tamque gravibus pœnis inhibuisset vel minimam mutationem correcti Textus, quilibet certe dicere posset de ipsa, quod olim de Tridentinis Patribus evomuerunt Hæretici: nimirum suo calculo probavisse menda Interpretis & Correctorum; crassa iniquaque inscitia prohibuisse ne de correcto Textu eliminentur; tyrannica lege vetuisse emendationem illorum vitiorum quæ apertis oculis & ipsa agnovit. Vide in quot scopulis offendunt qui nulla posita distinctione inter Vulgatam inemendatam & correctam, id de ista libere affirmant quod eximii Theologi, aliqua cum cautela de illa adstruebant. Sed præter, repetam, propositum hæc dixi.

§. IV.

De Regula inveniendi atque habendi in omnibus codicibus Bibliorum Clementis quovis loco, & tempore editis, Vulgatam Latinam veterem etiam a mendis typographicis perpolitam.

XXXVIII. Typographica menda licet non ita dignitatem Textus correcti Vulgatæ Latinæ saucient, atque si diceretur, eum complecti etiamnum menda Interpretis vel Romanornm Correctorum, nihilo tamen secius quantùm & ista suo modo ei detraxerint neminem, arbitror, eruditorum esse qui ignoret. Si de Hæreticis sermo fiat, sola recordatio Thomæ Jamesii rem affatim conficiet; cui quippe typographica menda, quæ codices Bibliorum Sixti V. an. 1590. contraxerant, incitamento fuere, ut in lucem Londini proderet famosum Libellum, inepto impioque lemmate inscriptum *BELLUM PAPALE*, hujusce-

mo-

modi quoque themata aptans Vulgatæ correctæ, & Catholicis qui ista utuntur: *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua.* (a) *Aufer rubiginem de argento, & exibit vas purissimum.* (b) Hanc Jamesii fæcem ad satietatem biberunt Sixtinus Amama in Anti-Barbaro Biblico, Waltonus in Prolegomenis Polyglottæ, ac quotquot Jamesio fucum faciunt. Si loquamur de Catholicis, vir summus Franciscus Lucas Brugensis si typographica menda quæ occurrerunt in Bibliis Vaticanis, nec non indices a Romanis Correctoribus confectos agnovisset, aliter forte sensisset de integritate Textus correcti, auctoritate Clementis VIII. excusi, sicut etiam in obsequium Romanæ Sedis ipsi quoque cordi fuisset a Literaria Republica removere persuasionem illam, quam antea evulgarat de plerisque mendis, etiam antiqui Interpretis, in Vaticanis editionibus etiam nunc corrigendis. Dicam amplius, præfata præli vitia caussa fuere, ut multi typographi Catholici haud adcurate ea distinguentes, a proposito retinuerunt in suis editionibus, perinde ac si forent ab ipso Spiritu Sancto dictata.

XXXIX. Ad confutandam jactantiam Jamesii neque hic locus est, & ex superioribns momentis sufficienter constat: ea in quibus Biblia Sixti V. discordant a Bibliis Clementis non esse fœtus Sixti V. vel Romanorum Correctorum, sed Vaticani typographi. (c) Si enim fuissent legitimi fœtus Sixti V., qua lege statim censuisset opus a se editum sub incudem revocandum? quomodo Clemens in dato rescripto ad Moretum potuisset adfirmare, Textum Vulgatæ a se editum esse illum, qui jussu Sixti V. recognitus fuit? Non me latet plerosque hodiernos Criticos maximam fidem, atque si esset quintum Evangelium, præstare iis quæ a Ven. Bellarmino in sua vita scripta

(a) *Isaiæ I. v.* 22.
(b) *Proverb.* XXV. *v.* 4.
(c) *V. n.* XXXII.

esse feruntur; sed ad opportuniorem locum hujusmodi rei crisim reservabimus.

XL. Circa Lucam Brugensem id mihi ceu clarum signum suppetit, quo moveor ad conjiciendum tam typographica menda trium Bibliorum Vaticanorum, quàm indices correctorios Romanorum Patrum Brugensem latuisse; namque in libro quem Brugensis edidit mendorum corrigendorum in Bibliis Vaticanis, interdum ita quædam scripturæ loca taxat, quasi quod consultò fuissent in illis Bibliis consignata, revera tamen typi tantum vitio irrepserant, potissimum in Bibliis Vaticanis An. 1593. quibus ipse usus est; non autem in aliis, & signanter 1592. Ut quisque de hujusmodi Brugensis involuntario errore securus existat, en non nulla exempla. Biblia Vaticana 1593. habent.

Exodi VIII. v. 26. *immolabimus Deo nostro?* præli vitio cum interrogationis nota; quem locum Romani Correctores jam in syllabo mendorum Bibliorum an. 1592. castigarunt, ut infra constabit; (*a*) & tamen Brugensis uti locum in omnibus Bibliis Vaticanis consultò receptum notat, dicens, *sine interrogationis nota*.

Levit. XIX. v. 9. *Cumq. messueris*; Brugensis notat: *Interpres non addit copulativam* Que; & tamen in eodem syllabo Correctores Romani hunc typographicum errorem jam notarant. (*b*)

Psalm. CXVIII. v. 46. *loquebar de testimoniis*: Brugensis notat: *non scribas* de *loco* in; & tamen ex Bibliis 1592. constat ly *de* typographi incuria irrepsisse in Bibliis 1593. (*c*)

Jerem. XLVIII. v. 18.: *vastator Moab ascendet ad te, dissipabit munitiones tuas:* Brugensis: *Præterita non sunt in futurum mutanda*: ascendet dissipabit; & tamen præ-

fa-

(a) *N.* XLIII. *errato 3.*
(b) *Vide n.* XLIII. *errato 6.*
(c) *Vide n.* XLIV. *errato 37.*

satum typi vitium Correctores in syllabo respondenti Bibliis 1592. antea monuerant. (*a*)

I. Machab. XII. v. 52. *qui cum ipso erant:* Brugensis: *Retinendum est plusquam perfectum*, fuerant, *non substituendum imperfectum* erant: & tamen quod hujusmodi mendum in solis Bibliis 1593. irrepserit, constat ex Bibliis 1592. habentibus *cum ipso fuerant*: & syllabo Bibliorum 1593., ubi præfatum mendum castigatur *errato* 56.

II. Machab. XI. v. 18. *& quæ res permittebat*, *concessi*: Brugensis: *Prima persona* concessi *nullo est modo admittenda*; verùm hanc notam dubio procul præteriisset si scrutatus fuisset vel syllabos Bibliorum 1592., & 1593., nec non Textum Bibliorum 1598. qui legit: *& quæ res permittebat*, *concessit*.

Matth. VIII. v. 28.: *cum venissent*: Brugensis: *non est mutandum singulare* venisset *cum plurali* venissent: verùm tam Biblia 1592. quam 1598. legunt *venisset*; quod pariter ita legendum monuerant Correctores in syllabo Bibliorum 1593.

Matth. XVII. v. 1. *post dies sex assumpsit*: Brugensis: *non mutes præsens* assumit *cum præterito* assumpsit: sed quàm inaniter id monuerit liquet tum ex Bibliis 1592. & 1598. quæ habent *assumit*, & syllabo 1593.

I. ad Timoth. V. v. 8. *bis contenti simus*: Brugensis: *Præsens indicativi* sumus *mutatur ab aliis in præsens imperativi* simus; verùm de Bibliis 1592. & 1598. & de monitu Correctorum 1593. minime id verificatur.

Tandem, ut alia missa faciam, Apocalyp. II. v. 24.: *quia Thyatiræ estis*: Brugensis monet legendum, *qui Thiatiræ estis*: sed ante ipsum hoc idem monuerant Correctores Romani in syllabis 1592; 1593. & Textus Bibliorum 1598. reapse legit: *qui Thyatiræ estis*.

XLI. Tantum igitur abest, ut annotationibus Francisci Lucæ Brugensis confidenter adhæreamus, quoniam si nec de

(a) *Vide n.* XLIII. *errato* 42.

de præli vitiis Bibliorum Vaticanorum instructus fuit; & quæ interdum in solis codicibus Bibliorum 1593. irrepserant, universis Vaticanis Bibliis perperam tribuit; ut clare eruitur ex famoso illo suo libro a se vocato: *Romanæ correctionis . . . loca insigniora*, quis de ejus fide non prudenter dubitabit, dum quasdam alias lectiones, quæ habentur in universis Bibliis Vaticanis infirmare audet, testans, se aliter legisse in pluribus veteribus manuscriptis? quapropter hæc & alia Henricum de Bukentop excitarunt, ut virgula censoria passim Brugensem notaret. (*a*) Quoad typographos juvat me nuper antea credidisse, eos ex ignorantia tam mendorum typographiæ Vaticanæ, quàm syllaborum Romanorum Correctorum non nulla consignasse in codicibus suarum editionum, quæ cum Textu correcto edito sub Clemente minime congruunt: quod si postea scienter ac temere id fecerint, haud video, qua lege non inciderint in excommunicationem majorem latæ sententiæ Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII., ut in superiori paragrapho præfatum est (*b*). Constat itaque non levi detrimento, ignorantiam typographorum mendorum, Ecclesiæ Dei fuisse; heinc in præsentia quod mihi negotium maxime facessit illud est, quod si animo occurreret tot mendorum typographorum corrigendorum indices hic texere, quot ab anno 1592. ad hæc usque tempora editiones Bibliorum confectæ sunt, perdifficili sane, & propemodum infinito mihi labori esset, & e contra tam exantlato labori neque pro centesima parte aliquis bonus fructus responderet: si omittam omnino, nec satis certe illi malo occurram, quod hac nostra ætate grassatur contra authentiam Vulgatæ Clementis, altius in dies radices agit, & propter quod coercendum non sine gravi diutinaque molestia hancce adgressus sum arduam spartam.

(a) *Maxime libro* II. *ad versum* 35. *cap.* V. *Marci pag.* 271. *col.* I. *Lib.* III. *cap.* VII. *puncto* V. *pag.* 513. *col.* 2. *& alibi*. *Legesis quoque paulo infra dicenda num.* LVII.

(b) *V. n.* XXXVII.

tam. In tanta igitur rerum viciſſitudine ac implexitate opere pretium exiſtimavi, ſuppeditare quandam methodum, ſive regulam qua unuſquiſque fidelis, & multo magis typographus ex ſe ſe valeret in quolibet codice cujuſcunque editionis Bibliorum Clementis certò, & indubitanter diſtinguere & definire omnia præli vitia, quibus ille aut illi codices ſcatent; valeret inſuper eadem methodo invenire veram ſinceramque lectionem, ſive vocem, ſive ſyllabam, ſive literulam, etiam minimum apiculum, quæ illis in locis ſubſtituenda ſunt. Jam quod inſtat, expediam.

HÆC EST REGULA.

XLII. In primis ter neceſſum eſt, habeas unum ſaltem ex codicibus impreſſis in typographia Vaticana an. ſcilicet 1592. vel 1593. vel 1598., ita ut ſi nullus horum codicum tibi adeſt, haudquaquam fructum aliquem ex hujuſcemodi Regula conſequi poteris. Secundo habeas pariter, opus eſt, ſyllabum errorum corrigendorum reſpondentem codici illius Vaticanæ editionis quem ad manus habes, ut nimirum primum ſyllabum ſcrutari teneberis, ſi tibi præſto eſt codex in *Folio* primæ Vaticanæ editionis; ſecundum ſyllabum, ſi habeas codicem in *Quarto majori* ſecundæ editionis; tertium, ſi tertiam in *Quarto minori*. Quo habito, ſi qua emergit difficultas de lectione vel quantumvis minima particula, quam tibi exhibet codex tuus recentior editus Romæ, aut Antuerpiæ, aut Venetiis, aut Pariſiis, vel alibi, *primò* hanc lectionem, de qua dubitas, petes apud præfatum codicem Vaticanum qui tibi præſto eſt: qua petita & inventa progredieris ad examinandum in ſyllabo qui reſpondet tuo Vaticano codici, utrum ſcilicet ſuper præfata ſelecta lectione Romani Correctores aliquid notarint: ſi notarint, jam difficultatem definies ad fidem ſyllabi; ſi nihil, redibis ad Vaticanum codicem, & ad normam lectionis, quam ille tibi

bi

bi exhibet, nedum deprehendes vitium, ſi quod ſpiret codex tuus recentior, ſed quoque conſpicies lectionem, quæ eo loci in tuo codice recentiore ſubſtituenda foret: Ut ordinate procedamus prius ſubiicientur ſyllabi, poſtea majoris claritatis gratia nonnulla exempla. Præfandum tamen refert, hoc in negotio facem mihi prætuliſſe ipſos venerabiles Romanos Correctores, ut ex præcedenti paragrapho haud obſcure eruitur; tametſi ut Lectoribus magis opem ferrem in conſignandis eorumdem ſyllabis hanc methodum tenere duxi: *primò* in fronte cujuslibet mendi & reſpondentis correctionis ponam numerum arithemeticum, ut facilius, ubi mihi occaſio occurrat alicujus citandi, inveniatur: *ſecundò* non ad inſtar ſyllaborum, quos Romani Correctores conſcripſerunt in codicibus 1598., per paginas ſcilicet & paginarum verſus, indicabo loca in quibus typographia Vaticana offendit, ſed per Bibliorum libros, capita, & verſiculos, cum faciliori negotio, expertus ſim, loca citata inveniri.

SYL-

SYLLABUS I.

Pro Bibliis Vaticanis in Folio Anno MDXCII. impressis.

XLIII.

				Errata.	*Corrige.*
1.	Genes.	xix.	6.	hostium	ostium
2.		xxiv.	64.	conspectu	conspecto
3.	Exod.	viii.	26.	Deo nostro?	Deo nostro.
4.		xii.	42.	observabilis Domino	observabilis Domini
5.	Levit.	xviii.	27.	Omnis	Omnes
6.		xix.	9.	Cumq.	Cum
7.			19.	testa	texta
8.	Numer.	ii.	9.	enumerati	annumerati
9.	Deut.	xxxii.	6.	Et Et insipiens?	& insipiens?
10.	Josue	viii.	29.	Præcepitque, &	Præcepitque Josue, &
11.		xi.	9.	combussit. 10. Reversusq.	combussit igni. 10. Reversusq.
12.		xii.	7.	Filiis Israel	Filii Israel
13.	Judic.	iv.	22.	egressaq. Jahel in occursum ejus, & dixit ei:	egressaq. Jahel in occursum ejus, dixit ei:
14.		ix.	55.	cum erant	cum eo erant
15.	Ruth	iii.	7.	discooperto pallio, a pedibus ejus se proiecit.	discooperto pallio a pedibus ejus, se proiecit.
16.	I. Reg.	iii.	12.	super donum ejus:	super domum ejus:
17.		x.	23.	& rursum.	& sursum.
18.		xxvii.	3.	ejus, & duæ uxores	ejus, & David, & duæ uxores
19.	II. Reg.	iii.	20.	& viri ejus	& viris ejus

20.

	Errata.	*Corrige.*
20. 29.	nec deficiet	nec deficiat
21. XXIII. 25.	Elica de Arori	Elica de Harodi
22. III. Reg. IV. 11.	Nepha Dor,	Nephat-dor,
23. IX. 13.	Hæccine	Hæcine
24. XXI. 1.	qui erat	quæ erat
25. XXII. 15.	tradet eum	tradet eam
26. IV. Reg. IV. 21.	clauſit hoſtium:	clauſit oſtium:
27. XXIV. 19.	Joakin.	Joakim.
28. II. Paral. XXXI. 10.	Azaria	Azarias
29. XXXII. 12.	altare	altari
30. I. Eſdr. III. 2.	Jeſue	Joſue
31. VI. 15.	ſextus Darii regis	ſextus regni Darii regis
32. Judith V. 20.	Jebuzæum	Jebuſæum
33. XIII. 1.	hoſtia	oſtia
34. XV. 9.	Joachim	Joacim
35. XVI. 23.	ſubſtulerat	ſuſtulerat
36. Job XXI. 9.	ſecutæ ſunt	ſecuræ ſunt
37. XXXI. 28.	Deum altiſſimum?	Deum altiſſimum.
38. Pſal. LXXXVIII. 8.	in cuircuctu	in circuitu
39. Sapien. XVII. 13.	in ſcientiam	inſcientiam
40. Eccleſ. VIII. 19.	non facies rixam	non facias rixam
41. Iſai. LXV. 20.	per centum annorum	puer centum annorum
42. Jerem. XLVIII. 18.	aſcendet ad te, diſſipabit	aſcendit ad te, diſſipavit
43. Ezech. XXI. 20.	Ammon, & & ad Judam	Ammon, & ad Judam
44. 28.	evagina te... lima te	evaginate... limate
45. Nahum III. 17.	eſt, earum & avolaverunt, & non eſt cognitus locus ubi fuerint.	eſt, & avolaverunt, & non eſt cognitus locus earum ubi fuerint.

	Errata.	*Corrige.*
46. I. Machab. XIII. 15.	quod habebat	quod debebat
47. II. Machab. XI. 18.	conceſſi.	conceſſit.
48. Matth. XXVII. 43.	ſi vult, eum:	ſi vult eum:
49. Marc. VI. 26.	Et contriſtatus eſt rex propter jusjurandum:	Et contriſtatus eſt rex: propter jusjurandum.
50. Joan. VIII. 54.	ſi ergo glorifico	ſi ego glorifico
51. Act. III. 18.	qui prænunciavit	quę prænunciavit.
52. XIII. 6.	virum magnum	virum magum
53. Roman. XIV. 7.	moritut.	moritur.
54. Epheſ. IV. 9.	partes terræ.	partes terræ?
55. V. 27.	in glorioſam	glorioſam
56. II. ad Theſ. I. 12.	nomen Domini Jeſu Chriſti.... & Domini noſtri Jeſu Chriſti.	nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti... & Domini Jeſu Chriſti.
57. Apocal. II. 24.	quia Thyatiræ eſtis	qui Thyatiræ eſtis

Sequuntur & alia menda quæ ſtatim calamo, vel alio modo fuerunt in omnibus codicibus eorumdem Bibliorum 1592. caſtigata, ut ei quoque innoteſcant qui forte inciderit in codicem aliquem, ſi qui manus Correctorum fugerit.

	Errata	*Correcta.*
58. Gen. XIV. 10.	remanſerunt	remanſerant
59. Exod. IX. 24.	tantaq.	tantæq.
60. Levit. IX. 3.	agnos,	agnũ,
61. Numer. XXIII. 30.	Balam, vel Balac	Balaã
62. Deut. XXXII. 39.	occido	occidã
63. Joſ. IV. 23.	Domini	Domino
64. II Reg. III. 23.	nunciatumq.	nunciatum
65. III. Reg. II. 4.	vias meas	vias ſuas
66. XIII. 23.	propheta	prophetæ

G   67. Sa-

	Errata.	Correcta.
67. Sapient. XI. 16.	quod quidem	quod quidam
68. Ecclesiasti. VII. 4.	Noli quærere Domino	Noli quærere a Domino
69. Isaiæ XLI. 27.	Ecce adsum	Ecce adsunt
70. Jerem. XVII. 9.	cor hominis	cor omnium
71. XXII. 3.	contristari	contristare
72. LII. 28.	triginti tres	viginti tres
73. Ezech. XLII. 8.	gazophyciorum	gazophylaciorum
74. Aggæi I. 1.	filium Josadec	filium Josedec
75. Act. IX. 10.	Damasci mine	Damasci nomine

Alia typographica menda quæ in iisdem Bibliis 1592. invenit Henricus de Bukentop Lib. III. cap. v. pag. 404.

76. Num VI. 21.	cum	cum
77. Josue XIII. 16.	planiciem	planitiem
78. I. Reg. VI. 21. VII. 1. 2.	Caria Thiarim	Cariathierim
79. XIII. 5.	curuum	curruum
80. IV. Reg. IX. 11.	dixerut	dixerunt
81. I. Paralip. XIII. 5. 6.	Caria Thiarim	Cariathiarim
82. Psal. LV. in titulo	Allophili	Allophyli
83. Ecclesiast. XVI. 9.	Loth	Lot
84. XXIV. 41.	fluvii Dioryx	dioryx
85. XLI. 10.	quæruntur filii	queruntur filii
86. Jerem. IV. 31.	inter morientis	intermorientis
87. XLVIII. 1.	fonfusa est civitas	confusa est civitas
88. III. 22.	Chanaam	Canaan
89. Ezech. XXVIII. 13.	Topatius	Topazius
90. Daniel XIII. 26.	pomaria	pomario
91. Matth. XV. 6.	irrritum	irritum
92. Luc. XII. 48.	digna, plagis vapulabit	digna plagis, vapulabit
93. Joan. VI. 35.	dixit autem ei Jesus	dixit autem eis Jesus

94.

		Errata.	Corrige.
94.	Act. XIII. 46.	dixetunt	dixerunt
95.	XVII. 15.	Sylam	Silam
96.	XXV. 21.	ad Cæsaream	ad Cæsarem
97.	1. ad Corinth. VIII. 6.	unus Deus	unus est Deus
98.	ad Tit. I. 12.	ventris pigri	ventres pigri
99.	Apocal. XVI. 4.	effugit	effudit

SYLLABUS II.

Pro Bibliis Vaticanis in Quarto majori Anno MDXCIII. impressis.

XLIV.

		Errata.	Corrige.
1.	Gen. XXVI. 12.	In ipso	in ipso
2.	XLII. 37.	si non reduxeto	si non reduxero
3.	Exodi V. 20.	occureruntq.	occurreruntq.
4.	VIII. 26.	Domino Deo nostro?	Domino Deo nostro.
5.	XII. 42.	observabilis Domino	observabilis Domini
6.	XIII. 15.	iumentorurum	iumentorum
7.	XV. 16.	im magnitudine	in magnitudine
8.	XVI. 13.	Eactum est	Factum est
9.	XXIX. 33.	& sancticentur	& sanctificentur
10.	Levit. XIX. 9.	Cumq. messueris	Cum messueris
11.	XXVII. 26.	nemo sancticare	nemo sanctificare
12.	Numer. I. 34.	ad bella pocedere	ad bella procedere
13.	II. 9.	enumerati sunt	annumerati sunt
14.	XIII. 30.	Amorræus	Amorrhæus
15.	Deuter. XX. 1.	æquitatus & currus	equitatus & currus

		Errata.	Corrige.
16.	XVIII. 45.	appreheent	apprehendent
17.	Josue III. 9.	vebum Domini	verbum Domini
18.	X. 41.	Gozen	Gosen
19.	XIII. 18.	& lassa	& Jaffa
20.	XV. 49.	Dann	Danna
21.	Judicum V. 15.	Barathrum	barathrum
22.	XX. 33.	virbem	verbum
23.	Ruth. III. 7.	discooperto pallio , a pedibus ejus se proiecit	discooperto pallio a pedibus ejus, se proiecit
24.	I. Reg. II. 11.	sacerdotes	sacerdotis
25.	XIV. 34.	& & arietem occidite	& arietem , & occidite
26.	II. Reg. VI. 22.	& Judam	& ludam
27.	XXII. 28.	Amnon, & dixero	Amnon vino, & dixero
28.	XXIV. 22.	in visum	in usum
29.	III. Reg. VI. 31.	Et ingressu	& in ingressu
30.	XXII. 15.	tradet eum	tradet eam
31.	IV. Reg. I. 4.	nou descendes	non descendes
32.	I. Paralip. VI. 16.	Mærari.	Merari.
33.	XVII. 9.	& habitabitabit	& habitabit
34.	Judith. XIII. 28.	capu	caput
35.	XV. 9.	Joachim	Joacim
36.	Psal. XCIII. 3.	Dominus	Domine.
37.	CXVIII. 46.	Et loquebar de testimoniis	Et loquebar in testimoniis
38.	CXXX. 1.	non exaltatum	non est exaltatum
39.	Ecclesiaste III. 18	in corde filiis	in corde meo de filiis
40.	Sap. XIV. 8.	mledictum	maledictum
41.	XVII. 12.	in scientiam	inscientiam
42.	XXXIII. 17.	ipse spe speravi	ipse speravi

			Errata.	*Corrige.*
43.	xxxix.	16.	ut enarrrem	ut enarrem
44.	xliii.	17.	in voultate	in voluntate
45.	Jerem. xv.	5.	Jernfalem	Jerusalem
46.	xxvii.	21.	dicit Dominu	dicit Dominus
47.	xlvi.	13.	venturus est	venturus esset
48.		24.	in manus	in manu
49.		26.	*bis* in manus	*bis* in manu
50.	l.	42.	sunt & misericordes	sunt & immisericordes
51.	Ezech. xxiv.	19.	Et dixit ad eos: sermo	Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis quid ista significent, quę tu facis? Et dixit ad eos: sermo
52.	xlii.	1.	viam educentem	viam ducentem
53.	Oseæ ii.	23	absque	Absque
54.	Miche. i.	6.	& & detraham	& detraham
55.	I. Machab. x.	80.	& eiecerunt	& iecerunt
56.	xii	52.	ipso erant	ipso fuerant
57.	xiii.	15.	quod habebat	quod debebat
58.	xiv.	40.	susuſceperunt	susceperunt
59.	II. Machab. viii.	9.	datis eis	datis ei
60.	xi.	18.	concessi	concessit
61.	Matth. viii.	28.	venissent	venisset
62.	xvii.	1.	assumpsit	assumit
63.	xxvi.	53.	angelorum.	angelorum?
64.	Marc. vi.	10.	inde: v. 11. quicunque	inde: v. 11. & quicunque
65.	vii.	15.	hominem & introiens	hominem introiens
66.		30.	suam, & invenit	suam invenit

				Errata.	Corrige.
67.	Joan.	I.	36.	dixit	dicit
68.		V.	13.	quis ſanus	qui ſanus
69.		VI.	35.	Dixit autem ei Jeſus	Dixit autem eis Jeſus
70.	Act.	VII.	5.	hereditarem	hæreditarem
71.		XV.	20.	fornicationis	fornicatione
72.		XVI.	35.	magiſtatus	magiſtratus
73.	I.Corinth.	VI.	13.	Deus autem hunc	Deus autem & hunc
74.		VIII.	6.	unus Deus	unus eſt Deus
75.	Epheſ.	I.	21.	virtutem dominationem	virtutem & dominationem
76.	Judæ		13.	diſpumantes	deſpumantes
77.	Apocal.	XI.	18.	adventi	advenit

Alia Typographica menda quæ in Bibliis 1593. invenit Bukentop Lib. III. Cap. 6. num. 4. pag. 502.

78.	Levit.	XXVI.	16.	coſumat	conſumat
79.	Deut.	XVIII.	6.	babitat	habitat
80.		XXIV.	14.	tnas	tuas
81.	Ruth.	IV.	3.	Elimelec	Elimelech
82.	I. Reg.	VII.	7.	Maſphat	Maſphath
83.		XXIV.	13.	Dominns	Dominus
84.	II. Reg.	XIII.	14.	obpreſſit	oppreſſit
85.		XIX.	22.	filiæ Sarviæ	filii Sarviæ
86.	I. Paralip.	XVIII.	16.	Abimelec	Abimelech
87.	II. Paralip.	XVII.	3.	Joſaphath	Joſaphat
88.	Job.	XXI.	9.	ſecuræ	ſecutæ
89.		XXXIII.	19.	quoqne	quoque
90.	Sapient.	XIV.	8.	mle dictum	maledictum

91.

	Errata.	*Corrige.*
91. Ibidem	llud	illud
92. Isaiæ XIX. 12.	tbi	tibi
93. XXXVIII. 21.	deficis	de ficis
94. XLIX. 20.	filiis sterilitatis	filii sterilitatis
95. L. 5.	abiit	abii
96. Jerem. XVII. 13.	recedentes à re	recedentes a te
97. XXV. 3.	Ammon	Amon
98. XXXIX. 5.	iu campo	in campo
99. Baruch. II. 28.	præcepisti eis	præcepisti ei
100. Zachar. I. 13.	consolatotia	consolatoria
101. I. Machab. IV. 26.	Quicumqne	Quicumque
102. Matth. I. 15.	genit	genuit
103. X. 4.	Chananæus	Cananæus
104. XV. 7.	Hypocrytæ	Hypocritæ
105. Marc. VI. 35.	hota præteriit	hora præteriit
106. Luc. X. 23.	dicit	dixit
107. XVIII. 39.	misere mei	miserere mei
108. XXII. 34.	donet	donec
109. Act. XVII. 32.	dixeruut	dixerunt
110. XVIII. 25.	& & fervens	& fervens
111. Galat. II. 8.	circumsionis	circumcisionis
112. ad Thimoth. I. 10.	Salvaroris	Salvatoris
113. ad Tit. I. 7.	iracuudum	iracundum
114. 8.	justutu	justum
115. II. 11.	gtatia	gratia
116. I. Joan. II. 21.	veritarem	veritatem
117. Apoc. II. 24.	quia Thyatiræ	qui Thyatiræ
118. XVII. 4.	inaurato	inaurata

SYL-

SYLLABUS III.

Pro Bibliis Vaticanis in Quarto minori Anno MDXCVIII. impreſſis.

				Errata.	*Corrige.*
XLV.					
1.	Geneſ.	III.	2.	Dominns	Dominus
2.		IV.	10.	frarris	fratris
3.		XLIV.	16.	tuotum	tuorum
4.	Exod.	VIII.	26.	Deo noſtro?	Deo noſtro:
5.		XII.	41.	obſervabilis Domino	obſervabilis Domini
6.		XIV.	7.	curuum	curruum
7.	Levit.	XIX.	9.	Cumq.	Cum
8.	Num.	II.	9.	enumerati	annumerati
9.		XIII.	30.	Amorræus	Amorrhæus
10.		XVIII.	12.	frumenti, & quidquid	frumenti , quidquid
11.		XXVI.	4.	iſte numerus	iſte eſt numerus
12.			24.	a quo quo familia	a quo familia
13.		XXIX.	36.	vitulum unum , agnos	vitulum unum , arietem unum, agnos
14.	Joſue	II.	24.	cuncti	cuncti
15.		X.	3.	Lachis , ad Dabir	Lachis , & ad Dabir
16.			17.	reges , & ſe abſconderant in ſpelunca	reges latentes in ſpelunca
17.			41.	Gozen	Goſen
18.		XVI.	7.	deſcendit de Janoe	deſcenditque de Janoe

19.

			Errata.	Corrige.
19.	Judic. v.	15.	Barathrum	barathrum
20.	XIII.	14.	quidquid	& quidquid
21.	Ruth. II.	1.	autem vir	autem viro
22.	III.	7.	diſcooperto pallio , a pedibus ejus ſe proiecit	diſcooperto pallio a pedibus ejus, ſe proiecit
23.	I. Reg. XIV.	34.	arietem occidite	arietem , & occidite
24.	XXVIII.	14.	pallio . intellexit	pallio . Et intellexit
25.	III. Reg. VIII.	11.	porerant	poterant
26.	XI.	33.	adoravit	adoraverit
27.	XIX.	11.	Dominus , poſt	Dominus, & poſt
28.	XXI.	1.	qui erat	quæ erat
29.	IV. Reg. XVI.	15.	holocaſtum	holocauſtum
30.	I. Paralip. IV.	25.	Mapſam filius ejus. v. 26. Fili Maſma ... Semei filius	Mapſam filius ejus , Maſma filius ejus . v. 26. Filii Maſma ... Semei filius ejus.
31.	XVII.	22.	& Domine	& tu Domine
32.	I. Eſdræ II.	52.	Beſſuth	Besluth
33.		60.	Tobia, & filii	Tobia, filii
34.	Tob. II.	18.	nutant	mutant
35.	Judith XIII.	28.	perforati	perforari
36.	XV.	9.	Joachim	Joacim
37.	Pſal. LXXVIII.	2.	eſca	eſcas
38.	CXVII.	24.	quem	quam
39.	CXVIII.	46.	de teſtimoniis	in teſtimoniis
40.	CXLIV.	19.	ſaulos	ſalvos
41.	Proverb. I.	32.	Avverſio	Averſio
42.	VI.	30.	futur	furatur
43.	Sap. XVII.	12.	in ſcientiam	inſcientiam

			Errata.	*Corrige.*
44.	Ecclesiast. VI.	31.	alligaiura	alligatura
45.	VIII.	19.	non facies rixam	non facias rixam
46.	XXXIII.	17.	ipse spe speravi	ipse speravi
47.	XXIX.	6.	tronitruo	tonitruo
48.	XLIV.	13.	& circino	& in circino
49.	LIX.	21.	de ore feminis tui	de ore tuo, & de ore feminis tui
50.	Jerem. VII.	23.	ei	eis
51.	XIII.	18.	desecdit	descendit
52.	XXIII.	36.	videntis	viventis
53.	XXVI.	19.	timuerunr	timuerunt
54.	XXVII.	8.	doncc	donec
55.	XXX.	21.	accedit	accedet
56.	XLVI.	13.	est	esset
57.	XLVIII.	18.	ascendet ad te, dissipabit	ascendit ad te, dissipavit
58.	L.	39.	sicariis	ficariis
59.	Baruch. IV.	10.	superdixit	superduxit
60.	Ezech. V.	6.	enim ea proiecerunt	enim mea proiecerunt
61.	XVI.	33.	eis vi	eis ut
62.	XLVII.	23.	adveno	advena
63.	Daniel II.	34.	pecussit	percussit
64.	Joel. II.	9.	current domos. conscendent	current: domos conscendent
65.	Zach. IV.	10.	manus	manu
66.	XIV.	10.	habitavit	habitabit
67.	I. Mach. IV.	51.	appenderuut	appenderunt
68.	II. Mach. VIII.	9.	datis eis	datis ei
69.		35.	extimaverat	existimaverat
70.	XIII.	5.	hæ	hæc
71.	Matth. III.	9.	contra vos	intra vos
72.	VIII.	28.	venissent	venisset
73.	IX.	11.	vester.	vester?

				Errata.	Corrige.
74.		XXVII.	20.	peteret	peterent
75.	Mar.	VI.	48.	eontrarius	contrarius
76.	Lucæ	VIII.	30.	Quod: tibi	Quod tibi
77.		X.	41.	folita es	folicita es
78.	Joan.	IV.	47.	ut difcenderet	ut defcenderet
79.		VI.	35.	ei Jefus	eis Jefus
80.	Act.	III.	18.	pronunciavit	prænunciavit
81.		XIII.	6.	magnum	magum
82.		XXI.	25.	indicantes	iudicantes
83.		XXVI.	5.	teftimonim	teftimonium
84.	I. ad Cor.	I.	28.	non fint	non funt
85.		IV.	17.	fidelis Domino	fidelis in Domino
86.		VIII.	6.	unus Deus	unus eft Deus
87.		XV.	8.	eft mihi,	eft & mihi
88.	II. ad Cor.	V.	5.	efficit, nos	efficit nos
89.	Ad Hebr.	VII.	23.	acti funt	facti funt
90.		VIII.	5.	confummarer	confummaret
91.	Apocal.	XIX.	9.	dicit mihi: Hæc verba Dei verba funt.	dixit mihi: Hæc verba Dei verba funt.

XLVI. Quoniam P. Henrico de Bukentop neque ad horam, ut ipfe teftatur, (a) codex aliquis tertiæ Vaticanæ editionis, quem videre defiderarat, adfuit, mirum haud eft fi nullam fuper mendis Bibliorum 1598. laborem adhibuit: mihi e contra haud fuppetit otium, ut in inveniendis, quæ Correctores fugerunt, confumam; exceptis hifce tribus quæ præter intentionem occurrerunt.

				Errata.	Corrige.
92.	III. Reg.	IV.	11.	Nephat Dor	Nephat-dor
93.	Marci	VII.	4.	aforo	àforo
94.	Act.	XXIII.	30.	mifi eum ad te denuncians, &	mifi eum ad te denuncians: &

H 2 §. 5.

(a) *Lib.* III. *cap.* V. *p.* 489. *col.* 2.

Absolutis tribus syllabis mendorum corrigendorum in tribus Bibliis Vaticanis, quorum inspectio est absolute necessaria ad hoc, ut in omnibus codicibus Bibliorum Clementis quovis loco & tempore editis, valeamus invenire & habere Textum Vulgatæ Latinæ veteris, etiam a mendis librariorum perpolitam: modo ut quis vel vulgaris aciei Regulam nuper statutam facili negotio assequatur, & insuper ejusdem firmitatem funditus agnoscat, consilio mihi fuit, in sequenti paragrapho quinque suppeditare varia exempla, nec non tribus objectis, quæ contra eandem Regulam faciliter opponi possunt, facere satis.

§. V.

Supradicta Regula illustratur quinque exemplis, nec non a tribus spiculis vindicatur.

XLVII. *Exemplum primum*. Per codicem Primæ Vaticanæ editionis definitur, & castigatur vitium impressum in codicibus Pitteri editionis Venetæ 1740. Habeo ex. gr. ad manum codicem Bibliorum Clementis a Pitterio impressum, & codicem primæ editionis Vaticanæ 1592. Codex Pitteri hanc mihi lectionem exhibet (*a*) *haud dubium quin Esther Mardochæus*. Mihi dubium inest, utrum hæc lectio sit vera & legitima, sive fideliter respondeat textui Vulgatæ veteris, quem Sixtus perpolivit, & Clemens edidit, an vero typographicum spiret mendum? heinc ad normam datæ Regulæ primò consului codicem Vaticanæ editionis, & detexi loco *Esther* poni *esset*, hac nimirum lege: *haud dubium quin esset Mardochæus*: deinde consului syllabum correctorium pro Bibliis 1592., & vidi Romanos Correctores nullum, de hujusmodi lectione Bibliorum 1592., verbum habuisse; isti

(a) *Ester* xv. 1.

isti igitur nullum typographicum mendum eodem irrepsisse agnoverunt; & per consequens si mihi constat hanc lectionem: *haud dubium quin esset Mardochæus*, quæ habetur in Bibliis Vaticanis 1592. esse genuinam & sinceram, constabit quoque Pitteri codices præfato in loco complecti typographicum errorem, & loco *Esther* legendum fore *esset*.

Exemplum secundum. Per inspectionem I. syllabi qui respondet codicibus primæ Vaticanæ editionis definitur, & castigatur mendum in iisdem Pitteri codicibus. Si conferam codicem Pitteri cum codice primæ Vaticanæ editionis, nullum sane deprehendo in codices Pitteri typographicum mendum super illud Ecclesiastici; (a) quoniam in codicibus utriusque editionis hæc habentur: *cum iracundo non facies rixam;* sed quoniam syllabus I. errato 40. taxat *facies*, & loco ipsius Correctores monent legendum *facias*, idcirco ex inspectione I. syllabi pro Bibliis primæ Vaticanæ editionis deprehendo, & corrigo mendum typographicum quo codices Pitteri obnoxii sunt.

XLVIII. *Exemplum tertium*. Ad fidem secundæ Vaticanæ editionis statuitur, & corrigitur mendum quo scatent codices editionis Venetæ 1750. sumptibus Remondini. Cum mihi ex. gr. duo tantum sint codices Bibliorum Clementis, nimirum secundæ editionis Vaticanæ 1593. & modernæ editionis Venetæ Remondinianæ, si dubium emergat, utrum Remondiniana quæ (b) legit: *nimio enim fuerat timore perterritus* aliquid typi vitium complectatur? hanc ipsam sane lectionem protinus petam apud codicem secundæ Vaticanæ editionis; & cum hæc habeat: *nimio enim fuerat in timore perterritus*, & insuper inspecto syllabo qui præfatæ editioni quadrat, nihil hoc super loco taxatum inveniam, jam pro certo scio, in

(a) VIII. *V.* 19.
(b) I. *Paralip.* XXI. 30.

in Remondinianis codicibus, nec non aliis qui ſilent propoſitionem *in* contineri typographicum mendum.

Exemplum quartum. Ad normam II. ſyllabi probo mendum typographicum potius reperiri in codicibus ſecundæ Vaticanæ editionis, quam in Bibliis Remondinianis. Apud editionem Remondinianam legitur [*a*] *Pro argento quod debebat frater tuus Jonathas*; ſtatim conſului codicem ſecundæ Vaticanæ editionis, & hæc inveni: *Pro argento quod habebat frater tuus Jonathas*; certe dicendum videbatur, Codices Remondinianos ſpirare errorem; verum diſpecto tandem ſyllabo a Romanis Correctoribus elucubrato pro Bibliis ſecundæ Vaticanæ editionis, ſicut errato 57. pro *habebat* monent legendum *debebat*, ita ſtatui non in codicibus Remondinianis reperiri eo loci mendum, bene verò in codicibus Vaticanis editionis 1593.

XLIX. *Exemplum quintum.* Per inſpectionem tertiæ Vaticanæ editionis & reſpondentis ſyllabi, multa vitia in codice Bibliorum, quem ad manum habeo Nicolai Pezzana editionis Venetæ 1754., corrigenda colligo. In prima enim columna ponam mendoſas lectiones Pezzana, e regione ejuſdem ſuppeditabo lectionem veram, & genuinam vel Bibliorum 1598., vel quam Judices Correctores conſignarunt, noſque retulimus ſub erratis III. ſyllabi.

	Pezzana impreſſit	*III. Vat. edit. vel III. ſyllabus habent*
1.	Exod. VIII. 26. Deo nostro?	In ſyllabo errato 4. Deo noſtro.
2.	XII. 41. obſervabilis Domino	In ſyll. err. 5. obſervabilis Domini
3.	III. Reg. IX. 13. Hæccine	In Vat. Hæcine
4.	XV. 18. regiæ dedit illud	regiæ, & dedit illud
5.	II. Paralip. XXV. 1. Joadan de Jeruſalem	Joaden de Jeruſalem

6.

(a) 1. *Machab.* XIII. 15.

6.	XXXII. 12.	Coram altare uno	Coram altari uno
7.	Judith XV. 9.	Joachim	In syll. errato 36. Joacim
8.	Eccles. VIII. 19.	non facies	In syll. errato 45. non facias
9.	Isaiæ LX. 5.	afflues, & mirabitur	In Vat. afflues, mirabitur
10.	I. Machab. XII. 1.	iuvat, & elegit	iuvat, elegit
11.	II. Machab. XI. 18.	concessi	concessit
12.	Matth. XXVII. 43.	nunc, si vult, eum:	nunc, si vult eum:
13.	Marci VI. 26.	contristatus est rex propter	contristatus est rex: propter
14.	VII. 4.	& à foro	& àforo
15.	Lucæ VIII. 18.	quomodo audiatis.	quomodo audiatis?
16.	Act. XXIII.	misi eum ad te, denuntians &	In syll. err. 94. misi eum ad te denuncians: &
17.	II. ad Tim. II. 22.	fidem, charitatem	In Vat. fidem, spem, charitatem

L. Ut enim exempli tantum caussa libuit vitia codicis Pezzana detegere per inspectionem tertiæ Vaticanæ editionis, & respondentis indicis correctorii, idipsum quis deprehendere poterit, si consulerit codicem primæ vel secundæ Vaticanæ editionis relative ad suos syllabos: sicut e contra, ea menda quæ in Bibliis Pitteri & Remondini, ad lancem primæ vel secundæ Vaticanæ editionis, notavimus, & alter præstare poterit ad fidem tertiæ editionis. Superest igitur ut ad ipsam Regulam firmandam breviter incumbamus.

Tri-

Tribus ſpiculis quæ contra ſtatutam Regulam proferri poſſunt, occurritur.

LI. I. Data Regula ex diametro opponitur conſtanti uſu omnium fere eruditorum Proteſtantium & Catholicorum, qui floruerunt potiſſimum poſt editionem Textus correcti. Poterant profecto tot eximii viri ad normam hujus Regulæ, facili negotio definire quamlibet Vulgatæ lectionem, abſque eo quod tot inſumpſiſſent vigilias, atque ſudores in conſulendis codicibus tum fontium, tum Contextuum, tum tandem venerablilium MSS. Vulgatæ Latinæ. Præterea hac Regula ſemel in medium ſtatuta quis tot probatos doctos miſeræ hallucinationis non criminabitur? imo, & quomodo Reſpublica litteraria non poſſet meritò conqueri de magnis diſpendiis quæ tulit in comparandis ſibi innumeris codicibus, in quibus non ad fidem correcti Textus, ſed originariorum fontium, Contextuum orientalium, & MSS. Latinorum veterum PP. Vulgata Clementis examinatur & probatur? certe vel ſi alia deeſſent, hoc quippe momentum tanti ponderis videtur eſſe, ut quilibet, niſi utroque oculo caligat ad merum febricitantis ſomnium datam Regulam non amandet. II. Tunc alicujus roboris ea eſſe videretur, ſi Romani Correctores exactiores fuiſſent in colligendis mendis typographicis, quæ codices Bibliorum typis Vaticanis excuſi, ſpirant; at conſtat multa menda eos fugiſſe, ac propterea inemendata reliquiſſe; ergo ſaltem quoad ea quæ Romani Correctores neque notarunt, neque in ſuis catalogis caſtigarunt, haud dubie Regula peſſumdatur. III. Si tibi & tuo Bukentop licuit catalogis Correctorum nova menda addere, ac in iiſdem Vaticanis Bibliis notare & caſtigare, & aliis quoque idipſum licebit; & maxime quod præter allegata in ſyllabis, & alia forte, ſicui arridebit, inveniet; & tunc quomodo illi malo occurriſti quo dicis hiſce noſtris temporibus, pro arbi-

arbitrio Vulgatæ correctæ adfingi typographica menda, & propter quod coercendum in medium protulisti Regulam? Sit exemplum: licuit tibi hanc lectionem (*a*) *unus Deus* uti præli vitium notare in primo syllabo errato 97, & ad tuam voluntatem definire, quod sit ibi legendum *unus est Deus:* ita pariter in tertio syllabo errato 94. pro typographico mendo taxasti omissionem duorum punctorum inter ista (*b*) *denuncians*, *&c*, hac lege exarans *denuncians: &c*, liberum pariter aliis Theologis erit affirmare, quod hæ v. g. lectiones (*c*) *afflues mirabitur*, & (*d*) *Fidem*, *spem*, *charitatem* in Bibliis Vaticanis præli vitia sapiant, ob idque meritò castigata a Luca Brugense, cui forte recentiores typographi adhæserunt, imprimentes: *afflues*, *&c mirabitur Fidem*, *charitatem*, sicque per datam Regulam longiorem potius & magis latam viam struis, ut in Textu correcto nova semper menda excogitentur, facto pariter temetipsum probans eidem malo occurrisse, quod in aliis diserte damnas.

LII. Attamen quoad *primum* recorderis velim, quæ omnes Catholici amica consensione tradunt in tractatu de Locis Theologicis, circa auctoritatem Romanæ sedis, cujus judicio quivis cordatus vir parere tenetur, & quod contra, nulla quantumvis communis opinio privatorum doctorum stare potest: *Nam* perbelle notavit Cl. Canus (*e*) *errantium multitudo non parit errori patrocinium*: & paulo infra bene agnoscit, priorem esse Apostolicæ sedis quàm Conciliorum auctoritatem, quia licet istorum auctoritas plerisque & acceptior & notior, sublata tamen Apostolicæ sedis auctoritate, Concilia quæcunque non solum vacillant, sed cadunt; & contra per se etiam sine Con-

I ci-

(a) I. *Ad Corinth.* VIII. 6.
(b) *Act.* XXIII. 30.
(c) *Isaiæ* LX. 5.
(d) II. *Ad Tim.* II. 22.
(e) *De locis Theologicis Lib.* VI. *cap.* II. *p.* 179. *col.* 2.

ciliis Apostolica sedes suam auctoritatem habet; atque ita si istius auctoritas Conciliis praefertur, viri quique judicent num contra sententiam Romanae sedis debeamus privatorum doctorum aliquam habere rationem. Quo notato, & insuper transmisso (quum non sit absolute verum,) quod omnibus fere eruditis Catholicis nostra regula opponatur; id unum profecto atque permagni perscrutari interest, utrum nostra Regula opponatur, an potius sit conformior judicio Romanae sedis? & sane qui adcurate superius dicta accepit, confido, satis deprehendisse ab ipsamet Romana sede, tametsi non ita diserte, Regulam, suam ducere originem, potissimum quum Clemens VIII. in superioribus Bullis (a) districte inhibuit, ne minima quidem particula de Textu Vaticano mutaretur, adderetur, vel ab eo detraheretur; postmodum quum Romani Correctores ediderunt tres indices mendorum corrigendorum (b) & tandem quum Paulus V. & Urbanus VIII. eisdem verbis Clementis VIII. locuti sunt. (c) Quod si postea a Romana sede primitus ea profecta est, quid refert, quod cum usu privatorum Theologorum & eruditorum non congruat, imo adversetur? forte in conflictu duarum opinionum in quaestionibus juris vel facti dogmatici, quarum unam traderent Theologi communiter, & alteram Romana sedes, licitum erit Catholicis sequi judicium Theologorum contra sententiam Romanae sedis? Isthaec quaestio utrum Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. erraverint in conferendo tantam authoritatem cuilibet minimae particulae correcti Textus, ut gravissimis poenis subjecerint eos qui auderent immutare, addere, vel detrahere, haec inquam quaestio non est facti puri, ut suo loco curae mihi erit ostendere; & consequenter nullum virum Catholicum (ut res est ingenue fatear) decet, non

tan-

(a) *N.* XXXII., *&* XXXIV.
(b) *V. n.* XXXIII.
(c) *V. n.* XXXVII.

tantum aliquam particulam de Textu correcto immutare, sed nec etiam in privatis operibus affirmare apiculum in Textu correcto, quod non sit manifestus error Typographi, & adhuc mendosum sive correctione dignum.

LIII. Ad illud quod eximii viri nimis insudarunt in conferendis codicibus fontium, Contextuum, & MSS. Latinorum &c; si loquamur de iis, qui ante correctionem Textus præfato negotio incubuerunt, sunt absolute laude digni, quum eo tempore vigebat monitum Concilii Tridentini de perpolienda Vulgata, & Romana sedes Tridentino adhærens hujusmodi studium monebat, fovebat, commendabat, nec non ejusdem studiosos officio prosequebatur & honore; & revera istorum Theologorum labores, ubi non conveniebant Latini codices, Romanis Correctoribus adjumento fuere; si vero de iis sermo erit, qui non obstante promulgatione Textus correcti sub Clemente, adhuc eadem atque antea libertate judicii conati sunt ad fidem fontium, Contextuumque examinare Textum correctum, libere quoque affirmantes, etiamnum iis in locis scatere mendis corrigendis (præter typographica) ubi discordat a fontibus, istorum sane labor nedum frustraneus videtur, sed quoque illicitus & Romanæ Ecclesiæ obnoxius, ut eruitur ex superius dictis (*a*) & alias latius (*b*) ubi commodius otium ac locum nacti fuerimus: consequenter si qui fuerunt Catholici (quia iis qui fucum faciunt Hæreticis repetam quod olim Hieronymus opponebat Ruffino (*c*) *quod si aliter amicus tuus esse non posse non possum, nisi & Hæreticorum amicus fuero, levius tuas inimicitias, quam illorum amicitias sustinebo*) qui in captivitatem non redegerunt suum intellectum in obsequium Romanæ Sedis, quæ vel minimam particulam correcti Textus prohibet sub censuris immutare, isti sane Theo-

I 2 lo-

(a) *N.* XIII., *&* XVIII.
(b) *N.* 134. *& seqq. nec non cap. ultimo hujus demonstrationis.*
(c) *Lib.* III. *cap.* X. *tom.* II. *p.* 536. *F.*

logi neque authoritati nobis esse debent, neque exemplo. Dixi non esse absolute verum, quod omnibus fere eruditis Catholicis Regula nostra opponatur, quia iidem fere omnes, meis consectariis passim in decursu operis, patrocinium præstabunt.

LIV. *Ad secundum*. Tametsi multa menda fugerint virgulam censoriam Romanorum Correctorum consequens tamen non est, respectu saltem istorum præfatam Regulam infirmitate laborare. Namque, ut jam monui, haud omnia menda quæ Bukentop collegit, & castigavit clausis oculis adoptavi; sed ea duntaxat quæ ad lancem sanctuarii, dicam clarius, ad fidem Bibliorum Vaticanæ editionis & respondentium syllaborum quos Correctores elucubrarunt, jure posita esse probavi: & per consequens si tam menda, quàm castigationes additæ rite, & rationabiliter adiectæ sunt atque si forent eorumdem Romanorum Patrum, plane & quoad ista eodem inoffenso pede Regula currit. Lubet duo exempla suppeditare nedum ut aperiam mei habiti consilii rationem, sed etiam ut cuique subiiciam methodum quam tenere debet in casu quo in tribus Vaticanis Bibliis alia menda inveniat, de quibus nullimode in tribus superioribus syllabis vestigium appareret.

LV. *Exemplum primum* pro iis mendis in quibus P. Henrico de Bukentop adhæsi. In Bibliis Vaticanis 1592. in librum Ecclesiaste Bukentop notat (*a*) hujusmodi typographicum mendum *Loth*, impressum nimirum cum littera *h*, quod ita corrigit *Lot*. Quo posito, in primis consului hujusmodi locum apud codicem Bibliorum 1592. & reapse inveni sicut Bukentop testatur: inde hocce nomen *Lot* contuli tum cum aliis scripturæ locis in quibus fit ejusdem nominis mentio, tum cum tribus syllabis Correctorum: & quoniam in tribus Vaticanis Bibliis observavi

(a) *V.* 1. *Syllabum errat.* 83.

vi præfatum nomen Viri celebris, multo pluribus in locis impressum fuisse in typographia Vaticana sine littera *b* nimirum Gen. XI. 27. 31. cap. XII. 4. cap. XIII. I. 5. Psal. LXXXII. 9. Lucæ XVII. 28. 29. 32. II. Petri II. 7. & alibi, adeo ut inverosimile videatur omnia ista loca fugere potuisse oculos Correctorum, ut pro humana imbecillitate censeatur eos non adjecisse præfatis in locis litteram *b*, idcirco pro manifesto typographico mendo corrigendo adoptavi, nec non animadverti exarandum fore nomen *Lot* sine littera *b*. Ita pariter mutuo accepi ab eodem Bukentop hoc aliud positum in primo syllabo err. 93. *dixit autem ei Jesus*, ibique ita castigatum, *dixit autem eis Jesus*, quia idipsum monent Indices Correctorii pro Bibliis Vaticanis 1593. (*a*) & etiam pro Bibliis 1598. (*b*)

LVI. *Exemplum secundum* pro iis in quibus haud Bukentop sum secutus. In catalogo mendorum corrigendorum quem Bukentop texuit, (*c*) censet esse mendum typographicum istud Apocalypsis (*d*) *Hæc dicit: Amen*, autumans ita legendum fore: *Hæc dicit Amen*, deletis nimirum duobus punctis intermediis, *quod*, inquit (*e*) *non solum colligitur ex circumstantiis Textus*, *sed etiam manifeste patet ex græco... & sine illis punctis habent Vulgatæ libri omnes quos vidi*, *tam Manuscripti*, *quam impressi*, *ante Biblia Vaticana editi;* verùm quia universa Biblia Vaticana 1592. 1593. 1598. comperui habere duo puncta ante vocem *Amen*, & Romanos Correctores nuspiam in suis indicibus hunc locum taxasse, idcirco haud passus sum a P. Bukentop hoc in negotio me abduci. Præterea brevitati studens, rationes omitto hic coquere quas protulit, quum alibi earumdem crisis sit reservata: dum-

(a) *V. Syllabum* II. *err.* 69.
(b) *Vid. Syll.* III. *err.* 79.
(c) *Lib.* III. *cap.* V. *p.* 404.
(d) III. 14.
(e) *Lib.* II. *in cap.* III. *Apocal. p.* 312. *col.* 2.

dumtaxat testor me observasse Vulgatas Latinas editas Venetiis 1538. per Bernardinum Stagninum, Parisiis 1573. per Sebastianum Nivellum, nec non Bibliam Vatabli; & quamvis inter præfata verba Apocal. ista non habeant duo puncta, habent tamen virgulam, quam nec etiam Bukentop patitur eo loci agnoscere.

LVII. Ex his plane solvitur *tertium* spiculum. Quis enim prohibet quo minus & alii non detegant & castigent in Bibliis Vaticanis, si quæ supersint, menda manifeste typographica? utique ut Bukentop & mihi licuit, & aliis quoque licebit, sed opus est ut is qui velit hancce provinciam aggredi habeat ad manus omnes tres codices Vaticanæ editionis necnon præfatos syllabos Correctorum, ne scilicet eidem scopulo offendat, cui, ut pluries testatur. Bukentop, occurrit vir summus Franciscus Lucas Brugensis, ex eo quod vix codicem secundæ Vaticanæ editionis vidit, & indicum Romanorum Correctorum penitus inscius: *numquam*, ita Bukentop (a) *horum indicum ullus, quantum scio, meminit Theologus, aut Interpres scripturæ; sed omnes hos altum latuerunt indices isti, præsertim Franciscum Lucam Brugensem, utpote qui nusquam illos citat, nusquam illorum vel per umbram mentionem facit, neque illos sequitur tum in allegandis Vulgatæ verbis, tum in notis suis; sed e contrario variis locis docet aliter esse legendum, quam legendum Judices monent:* & infra rationem reddens cur Biblia Plantiniana, & alia per orbem catholicum multipliciter edita non conveniant in omnibus cum Bibliis Vaticanis Clementis VIII., observat, quod Plantiniani typographi, quibus alii typographi sunt adcurate adstipulati, secuti sunt notas Francisci Lucæ Brugensis, qui in famoso illo suo libro a se vocato: *Romanæ correctionis ... loca insigniora*, aliter affert verba scripturæ sacræ, quam impressa sunt in Bibliis Vaticanis, quique *solam Vaticanam* 1593. *vidit, & qua sola usus est*. Quod pariter, si li-

(a) *Lib.* III. *cap.* VII. puncto IV. p. 510.

libuerit, manifeſtius colligere poteris ex præfatis. [a] Itaque exemplo Lucæ Brugenſis conſtat non ſufficere inſpectionem unius Vaticani codicis ad hoc, ut quis valeat in iiſdem Bibliis Vaticanis detegere & caſtigare mendum aliquod, quod ſit manifeſte typographicum: quamquam unus codex Vaticanus cum reſpondente ſyllabo ſufficiat pro aliis Bibliis corrigendis. Ceterùm & in hoc etiam ſecuriori profecto, & tutiori via incedet qui, occurrente dubio ſuper aliqua lectione vel voce vel apiculo aliorum Bibliorum, conferet eam lectionem, vocem &c. cum tribus Vaticanis Bibliis, tribuſque conſignatis ſyllabis; quis enim ire poteſt inficias ſuſceptum opus tunc penſiculatius, atque exactiori criterio confici?

LVIII. Præterea quod, per datam Regulam, ſufficiens remedium adhibuerim illi malo, quod adverſus omnimodam Vulgatæ authentiam hodie graſſatur, de quo antea (b) & infra ſermo redibit, hæc mihi ratio eſt. Ii qui tenent in Vulgata Clementis menda corrigenda ſupereſſe, duplici profecto generaliſſima ratione nituntur id oſtendere, *primò* quia nullus reperitur codex Bibliorum Clementis qui typographicis vitiis non ſit obnoxius; *ſecundò* quia pleraque loca habentur in Vulgata Clementis quæ nullimode quadrant antiquo Interpreti Hieronymo, & interdum ſi Hieronymo reſpondent, diſcrepant tamen a fontibus. *Primum* momentum, arbitror, abunde occupaſſe, non quatenus præli vitia denegarim, ſed in quantum ſuppeditavi Regulam, qua deprehenduntur ea & corriguntur, quaque inſuper moderatur effrenata quorumdam libido, qui quaſdam ſinceras lectiones Vulgatæ Clementis pro arbitrio amandant ad oſcitantiam typographorum. Juvat me credere ſaltem viros Catholicos de judicio Roma-

(a) *N.* XL.
(b) *N.* III. & IV.

manæ sedis Romanorumque PP. recte, & religiose sentientes flocci habere in futurum *secundum* allegatum momentum propter dicta; (*a*) quare malo, quod per prius momentum Ecclesiæ Christi ingestum est, censeo, affatim per datam Regulam, occurrisse; quod autem a posteriori ducit originem, quodque longe gravius est, per totum operis decursum faciam medelam.

LIX. Liquet pariter ex dictis, quàm inepte quis opponeret, me occasione Regulæ longiorem & magis latam viam struere, ut in Textu correcto Clementis nova semper menda typographica excogitentur: heinc ad propositum exemplum veniam; non enim pro libitu in superioribus syllabis taxavi eas lectiones Vaticanæ editionis, sed firmis & fere evidentibus ductus conjecturis. Siquidem ideo in I. syllabo err. 97. statui pro mendo typographico (*b*) *unus Deus*, & correxi *unus est Deus*, quia revera Correctores Romani mihi exemplo sunt, licet non in indice quem ediderunt pro Bibliis 1592. sed 1593. [*c*] & pro Bibliis 1598. (*d*) Notavi quoque illud (*e*) *denuncians*, *&c*, atque ita castigavi *denuncians*: *&c*, quia utraque Biblia Vaticana 1592. 1593. non virgulam, sed duo puncta interponunt, & insuper indices Correctorii horum Bibliorum nihil eo loci immutandum notant. Quum verò e contra irrationabiliter penitus & nullo prorsus nixus fundamento petito vel a Bibliis Vaticanis, vel ab indicibus Correctorum quis affirmaret, quod præfatæ lectiones (*f*) *affluet mirabitur* (*g*) *fidem spem charitatem* in Bibliis Vaticanis præli vitia sapiant, quoniam universa Vaticana, plenissima consonantia iis in locis ad invicem respondent, idcirco minime affirmare licet præfa-

(a) *Potissimum n.* VII. *&* XXXVII. (b) I. *ad Corinth.* VIII. 6.
(c) *V.* II. *Syllab. err.* 74. (d) *V. Syllab.* III. *err.* 86.
(e) *Act.* XXIII. 30. (f) *Isaiæ* LX. 5.
(g) II. *ad Tim.* XI. 22.

fatas lectiones præli vitiis fcatere : quod fi poftea oppones corrigi debere, quia Brugenfis ex fontibus & ex veteribus MSS. latinis eruit caftigandas effe, jam non amplius contendis eas caftigare in quantum fpirent præli vitia, fed quia probatiori & fecuriori teftimonio tibi eft Lucas Brugenfis, vel alter privatus criticus, quam Romana Sedes Romanique Correctores, qui cenfuerunt ita legendum effe iis in locis ficuti exhibent tria Vaticana Biblia : & tum? qui intelligit rem definiat. (*a*) Sed de his hactenus, ubi fi longiorem traxerim orationis filum, cum magnitudine tamen utilitatis comparatum, fortaffis etiam brevior videbitur; opus fuit ut in patulo ponerem quænam fit ea Vulgata Clementis, quam adverfus neotericos Criticos Heterodoxos adftruo nullum complecti vitium correctione dignum : quamque profecto exhibent tres codices Vaticani Clementis, fubintellectis caftigationibus trium fyllaborum, & omnes alii Bibliaci codices quovis loco & tempore editi, prout tamen cum præfatis Vaticanis Bibliis quàm fideliffime congruunt.

§. VI.

De methodo quam P. Natalis Alexander tenuit in evulgando inter Romanæ Ecclefiæ filios Waltonianum fyftema.

LX. Licet ratio quam omnium virorum potiffimum Orthodoxorum mihi habere cordi eft cauffa fuit, ut nufpiam hoc in volumine nomen P. Natalis Alexandri nota aliqua taxarem; quum autem is, cui parere mea intererat, modis omnibus fcire voluit perfonam, de qua in fuperiori Præfatione (*b*) ajebam: *non fine animi amaritudine, minime virum Orthodoxum defuiffe invenerim qui* K *mul-*

(a) *Vide Num.* LII.
(b) *Num.* VIII.

multiplici plagio Waltoniana momenta Catholicos inter evulgarit, idcirco aperto Alexandri nomine, & ejusdem furto nonnullis speciminibus liquato, idem vir gravis mihi consilio fuit, ut hujuscemodi minus dignam scribendi methodum, quam Alexander tenuit Differt. XXXIX. Sæculi IV. Hist. Ecclesiast. haud cum piorum Theologorum detrimento silentio præterirem. Heinc consensum accomodans, notes velim, plerosque de Romana Ecclesia excepisse bona fide opinionem Alexandri, in quantum minime crediderunt totam fere ab Hæretico excerptam fuisse, adeout si id eis innotuisset nuspiam, ut reor, ei tanto successu adhæsissent. Non me latet Alexandrum eo loci interdum citare Waltonum, sed ea lege, ut neutiquam quis vel coniicere valeat totum fere quod exponit articulo I. II. III. IV. & V. a Waltono mutuo accepisse. Quum enim alicui viro docto occurrit alterius testimonia in suis operibus assumere, pro communi more diverso charactere, vel notulis, aut alio modo id suis lectoribus indicat, quodque idem Alexander alibi fideliter servat atque custodit; & tamen respectu Waltonianæ doctrinæ quam crebro expiscatus est, quo fine aliter se gesserit Deo sane innotescit. Dicam plus: pro Waltoniana doctrina magis atque Waltonus ipse zelare Alexander visus est: ille ut suum systema probaret testimonio Lucæ Brugensis, tantùm innuit hunc collegisse multa loca, quæ post correctionem Clementis VIII. adhuc emendanda videntur; Alexandro autem peculiari studio fuit non solùm exponere pleraque menda Brugensis a quo quippe, systema quod multis postea annis evulgavit Waltonus quàm longissime absuit, (a) sed etiam omnibus Catholicis legenda suppeditavit menda conficta a Grotio aliisque Hæ-

(a) *Jam nonnulla de Brugensi innuimus num.* XL. XLI. & XLVII. *Divina opitulante gratia exponemus quoque tum justas caussas, quæ eundem excitarunt ad aggrediendam pro prima vice præfatam Provinciam, tum religiosissimas clausulas quas operi suo præfixit, quasque tam Waltonus, quàm Alexander alto silentio prætereunt.*

Hæreticis, quorum lectionem Romana Ecclesia haud suis filiis indiscriminatim permittit. Itaque ut res est cuique perspecta fiat, proferam nonnulla fragmenta Waltoni ab Alexandro exscripta ad litteram excepto uno, vel altero verbo ab eodem addito, vel detracto, vel immutato, aut inverso, existimans fore, ut eruditis piisque Theologis non parum arrideat, quum deprehendent omnia quæ Alexander docet dissertatione XXXIX. seculi IV. maxima ex parte esse germanum fœtum Hæretici, privignumque scriptoris Orthodoxi.

FRAGMENTUM I.

Waltonus (a) *Multas*, inquit, *fuisse versiones scripturæ Latinas docet S. Augustinus lib.* 2. *de doctrina Christiana cap.* 11. . . . *Inter illas autem una erat quæ ab Augustino loco citato*, *c.* 15. Itala, *ab Hieronymo in cap.* 14. & 49. *Isaiæ*, Communis & Vulgata, *à Gregorio Epist. ad Leandrum ante moral. præfix.* Vetus *appellata erat*, *quam reliquis prætulerunt*, *quia*, *ut Augustinus*, *erat verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ* : *hanc verò in Ecclesia Latina maximè in usu fuisse* ; *unde nomen Italæ & Vulgatæ habuit*; *quia verò reliquis antiquior erat*, Vetus *dicebatur*. *Facta est autem hæc versio . . . ex Græca*, & *magnæ auctoritatis erat apud Ecclesias occidentis . . . Cujus lectione usa est Ecclesia longè ante Hieronymi tempora & etiam multo post usque ad tempora Gregorii Papæ*. Hisce quippe verbis orditur Natalis. (b)

(a) *Prolegomeno* X. §. 1. *pag.* 351. *col.* 1.
(b) *Dissert.* XXXIX. *Sæculi* IV. *Artic.* 1. *Tom.* IV. *Hist. Eccles. edit. Parisiens.* 1699. *pag.* 402. *col.* 2. *E. vel Tom.* IX. *edit. Neapol.* 174. *pag.* 198.

FRAGMENTUM II.

LXII. Waltonus (*a*) *Constat etiam Hieronymum multis annis antequam ad Textum Hebraicum vertendum se accingeret, Græcam LXX. Latinè transtulisse ut ex lib. 2. contra Ruffinum, . . . ubi scribit se LXX. Interpretes, ante annos plurimos diligentissimè emendasse, & linguæ suæ studiosis dedisse, & quod Psalterium juxta LXX. à se emendatum Romæ receptum esset. Eadem habet Præf. in Paralip. ad Chromatium, . . . Et Epist. ad Augustinum . . . Hujus verò Versionis suæ habemus Prophetas inter opera sua adbuc servatos. An verò Hieronymus Latinam illam Versionem ex Græca LXX. de novo fecerit, an tantum Vulgatam, & Italam emendaverit, vix liquido constat. Probabile tamen mihi videtur quosdam libros de novo vertisse, reliquos tantùm emendasse. De novo vertit Psalterium, ut ipse scribit Epist. ad Sun. & Fret. librum Jobi, ut ex utraque Præfatione constat; & libros Salomonis, ut lib. 2. adversus Ruff. cap. 8. habetur; reliquos solùm emendavit... Vetus illa Vulgata .... in usu quidem fuit non obstante nova Hieronymi versione ex Hebræo, per ducentos ferè annos post Hieronymum, ut ex verbis Gregorii constat, qui utraque novà Hieronymi quàm Vetere illa ex LXX. in Commentariis suis usus est, ut ex verbis ejus in Epist. ad Leandrum præfixa libris moralium, & lib.* 20. *Moral. cap.* 23. *liquet*. Eadem leges apud Natalem. (*b*)

FRAGMENTUM III.

LXIII. Waltonus (*c*) differens de caufis quæ Hierony-

(a) *Loco citato pag.* 352. *col.* 2.
(b) *Cit. litt. F. aut Tom.* IX. *edit. Neapolit. p.* 198.
(c) *Loc. cit. pag.* 353. *col.* 1.

nymum impulerunt ad novam Versionem adornandam *erant*, inquit, *variæ quæ in versionibus Græcis & Latinis irrepserant corruptelæ ... tum quod reliquæ Versiones factæ sunt ab hominibus semichristianis, & Judaicis Apostatis, qui in odium fidei Christianæ multa Scripturæ loca perversa expositione corruperant ... Hieronymus ergo ... imperfectiones aliarum Versionum animo revolvens, & amicorum suasu ac hortatus excitatus, rem Ecclesiæ utilem se facturum existimabat, si novam Versionem ex Hebraico fonte exprimeret, quam ..... tandem perfecit, quæ magis quàm reliquæ cum Hebræo conveniebat, & accuratior erat. Hanc fuisse consilii sui rationem ipse sæpius explicat. Præfat. Paral. hæc habet :* Si LXX. Interpretum &c. Ita quoque Alexander (*a*).

FRAGMENTUM IV.

LXIV. Waltonus (*b*) asserens S. Hieronymum haud jussu Damasi Papæ, vel nomine totius Ecclesiæ suam Versionem aggressum fuisse, ita pergit. *Damaso quidem charus erat, cui fuit ab Epistolis, sed Juvenis erat cùm Damaso innotuit, & Damasum annos supra triginta supervixit, & mortuo Damaso, Roma Hierosolymam secessit, & Bethlehemum, ubi per quinquennium in Monasterio vixit, ut ex Epist. 99. ad Asellam, & initio Epist. 116. ad Paulam, & Eustochium colligitur ; post hæc Barrabanum præceptorem habuit, ut ex Epist. 65. ad Pammachium constat, & postea Hebraicè satis instructus ad Versionem ex Hebræo se accinxit. Verum est ipsum jussu Damasi N. Testamentum vel Evangelia saltem emendasse, ut ex Præf. Evangeliorum liquet ; at V. Testamenti ex Hebræo Versionem non potuit aggredi ex Damasi jussu, qui multis antea an-*

(a) *Loc. cit. Edit. Parif. pag.* 403. *col.* 1. *D. aut Edit. Neapolit. Tom.* IX. *p.* 199.
(b) *Proleg.* x. §. 4. *p.* 353. *col.* 2.

annis mortuus est. Nec nomine totius Ecclesiæ illam confecit, cùm certum sit multos Episcopos & inter alios Augustinum hanc Hieronymi operam ubique improbasse, nec nisi multis post Hieronymi obitum annis in Ecclesias publicè receptam fuisse. Waltono verbatim respondet Natalis (*a*).

FRAGMENTUM V.

LXV. Waltonus (*b*) subdit de eodem Hieronymo: *Affirmat de se lib. de Viris Illustribus extremo, & testatur Augustinus Epist. 8. & 10. & de civitate Dei lib. 18. cap. 43. ipsum Vet. Testamentum ex Hebræo vertisse; libros verò Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, Baruch, Epistolam Jeremiæ, Additiones ad Estherem & ad Danielem non vertit, tum quia Hebraicè non extabant... Ecclesiasticum tamen & l. 1. Machabæorum affirmat se in Hebraica lingua vidisse ... Quater enim circa Psalterium laboravit, Primò ex Hebræo, ut dixi, in Latinum vertit, ut in Epist. ad Sophronium legimus... secundò ex editione τῶν ὁ Græca, quæ in Hexaplis erat sincera & incorrupta quam Asteriscis, & obelis notavit, de qua in Epist. 135. ad Suniam & Fretelam. Tertiò, ex Præf. Psalt. ad Paulam & Eustochium & Epistol. ad Sophronium constat ipsum bis emendasse ex editione Lucianea, quæ Vulgata & Communis dicta est, quæ eadem erat cum LXX. sed a Luciano in quibusdam correcta & emendata, hanc prima vice emendavit, ut est in Epist. ad Sophronium, & postea iterum emendavit additis asteriscis, & obelis, ut ipse affirmat Præf. in Psalt. ad Paulam & Eustochium ... Novum verò Testamentum non de novo vertit Hieronymus, sed tantùm emendavit, nec fortasse totum emendavit sed Evangelia tantùm. Sic enim ipse lib. de Script. Eccles.* Ve-

(a) *Sæc.* IV. *Differt.* XXXIX. *artic.* II. *Tom.* IV. *edit. Parif. pag.* 403. *col.* 1. *F. aut Tom. IX. edit. Neap. pag.* 199.
(b) *Ibid.* §. 5.

Vetus Testamentum juxta Hebræum &c. Quæ omnia ad litteram Alexander exscripsit. (*a*)

FRAGMENTUM VI.

LXVI. Waltonus (*b*) *Quidam*, inquit, *volunt Hieronymum peculiari S. Spiritus afflatu Versionem illam condidisse, & eodem Spiritu dirigente ac movente ab omni errore exemptum fuisse, itaut nec decipi potuisset, nec errorem aliquem vel levissimum vertendo commiserit ..... Hæc verò sententia est aperte falsa, & vix refutatione eget, cùm Hieronymus sæpe fassus sit se errasse ut hominem ut Esai.* 19. Melius reor &c. *Ex quibus verbis* **Oleaster** *in Cap.* 23. *Exodi* ... *Et Bellarminus lib.* 2. *de Verbo Dei cap.* XI.... *Cùm Vulgata Editio non sit unius authoris, sed quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, stultum videtur dicere Theodotionem Hæreticum errare non potuisse... Idem affirmant Driedo de Eccles. Script. lib.* 2. *contr.* 3. *Vega l.* 15. *in Concil. Trid. Cap.* 9. ... *Nec sanè ita libere Hieronymi inceptum in vertendo improbassent Augustinus, Ruffinus aliique celebres Ecclesiæ Doctores ac Episcopi, si ipsum a Spir. S. peculiari modo in illa Versione adiutum fuisse existimassent. Quid quod plerique Ecclesiæ Romanæ Doctores... fatentur errores in Vulgata Latina [quam illi Hieronymi esse volunt] non tantùm fuisse ante Concilii Decretum, sed etiam post Sixti V. & Clementis VIII. emendationes, idque non tantùm Typographi, sed & Interpretis vitio? Sic Cajetanus in* 2. *Chron. Cap.* 16. *Torniellus ad annum M.* 3149. .... *Sixtus Senensis lib.* 8. *Bibliot. ad finem, Dom. Bannes parte* 1. *q.* 1. *Art.* 8. *dub.* 4. *Bellarminus loco citato, & in Epist. ad Lucam Brugensem, Bonfrerius Præloq. cap.* 15. *sect.* 3. *& Franciscus Lucas Brugensis, qui multa loca collegit, quæ post correctionem Cle-*

[a] *Loco cit. Artic.* III. *pag.* 403. *col.* 2. *c. D. E. F. & editionis Neapolitanæ* 1740. *Tom.* IX. *pag.* 200.

[b] *Proleg.* X. §. 6. *pag.* 354. *col.* 2.

Clementis VIII. adbuc emendanda videntur . Certum itaque est Hieronymum mediis ordinariis instructum , eruditione , & industria humana hoc opus confecisse , & ut alii Interpretes errori obnoxium fuisse. Hactenus Waltonus cujus quoque verbis usus est Natalis Alexander [*a*]

FRAGMENTUM VII.

LXVII. Waltonus (*b*) *Licet Versio* (Hieronymi) *ad textum Heb. propius accederet , quàm illa τῶν ὁ... plerique tamen Doctores Ecclesiarum rectores & Episcopi... hoc ejus incœptum primò improbarunt ut temerarium , & auctoritatem versionis LXX. convellendam & minuendam factum . Unde multis calumniis impetitus Hieronymus ... Apologias scribere coactus est , in quibus sæpe testatus est se nihil in LXX. Versionem molitum esse, sed ex Hebræo fonte in Latinum transtulisse, ut eorum desiderio satisfaceret, qui avebant scire quomodo in Hebræis codicibus legeretur .... Ruffinus verò acriter Hieronymum increpavit, cui non sine bile respondet Hieronymus*: Quis, *inquit ille lib.* 2. *Invect.* ex tot & tantis prudentibus &c. *Hæc & multa alia objiciebant ejus æmuli .... ad quod sæpius respondet , profitendo se ne tantillum auctoritati LXX. derogare velle , quorum Versionem divinam, & in S. Spiritu factam agnoscit. Sic Præfat. in Jobum ... in Prologo Galeato ... contra Ruffinum .... Sanctus verò Augustinus qui Hieron. familiaris, opus hoc ita improbavit, ut non permiserit novam hanc Versionem per ejus diæcesim legi, & antequam perfecta fuerat, Hieronymum hortabatur , ut ab incœpto desisteret , & in aliis operam poneret. Sic enim scribit ad Hieronymum .... Epist.* 10. Ego sane te mallem &c. Apud Natalem (*c*) eadem

(*a*) *Secul.* IV. *Hist. Eccles. Dissert.* XXXIX. *Art.* III. *Tom. IV. edit. Paris. pag.* 404. *col.* 1. *C. D. & seqq. & editionis Neapolit. loco cit. pag.* 201.
(*b*) *Loco cit.* §. 7. *p.* 354. *col.* 2.
(*c*) *Cit. Art.* IV. *pag.* 404. *col.* 2. *B. & seqq. & editionis Neapol. pag.* 201.

eadem reperies excepto hoc Hieronymi teſtimonio, quod longiùs deſcribit.

FRAGMENTUM VIII.

LXVIII. Waltonus (*a*) & Natalis (*b*) *Neceſſarium erat habere translationem ex Hebraico factam quæ cum Verſione LXX. conferri, & legi poſſet, ut contra Judæos melius fidei noſtræ dogmata tueremur; nam niſi in Textu aliquo convenire-mus, nunquam cum hoſte decertare, vel ipſum convincere poſſemus: Hæc verò nova Verſio Hebraico Textui verbis magis conſonat, quàm Græca. Judæi Chriſtianis inſultabant dicentes non ita eſſe in Codice Hebr. ut illi citabant, unde Hier. Præfat. ad Eſaiam dicit ne Judæi de falſitate Scripturarum Eccleſiis diutius inſultarent ſe ex Hebræo vertiſſe. Dein translatio LXX. erat potius (ſaltem in multis) periphraſis & commentarius, quàm Verſio, obſcura elucidans & explicans, ſenſum potiùs quàm verba reddens; unde congruum erat aliam ex Hebraico ferè de verbo ad verbum cudi, quo oſtenderetur illos nihil Hebr. textui contrarium reddidiſſe: Præterea poſt Chriſtum Prophetiis expletis, ex ipſo rerum eventu longè clarius reddi poſſe veteres prophetias ad Chriſtum & Nov. Teſt. ſpectantes, quæ ante impletionem obſcuræ erant, & ab Interpretibus nonniſi obſcurè reddi poſſent. De hoc Hier. Præfat. in Pentateuch.* Illi qui &c. *Tandem & hoc adiicit ex Hieron. Præfat. in Eſd. Sixtus Senenſis lib. citato, ut hoc modo exultantem Græciam compeſcerent & eorum faſtum ſupprimerent, qui ſe Latinis in tantùm præferebant, ut dicerent, nihil divinarum ſcripturarum habere Latinos quod non a Græcis mutuò accepiſſent.*

L FRA-

(a) *Proleg.* x. §. 8. *p.* 355. *col.* 2. (b) *Seculo* IV. *Diſſert.* XXXIX. *Artic.* IV. *pag.* 405. *col.* 1. *Edition. Pariſienſ. an.* 1699. & *edit. Neapol. Tom. IX. pag.* 203.

FRAGMENTUM IX.

LXIX. Waltonus (*a*), & ex eo P. Natalis (*b*) *Certum est Psalmorum librum in Vulgata non esse ex Hieronymi versione ex Hebræo ... sed esse ex antiqua versione secundum Luciani Martyris emendationem ... quia vero Psalmos ex quotidiano usu, & quia in Templis quotidie decantati ... etiam vulgus memoriter tenebat, itaut mutatio sine gravi offensa populi fieri non posset, ideo Psalmi in Vulgata secundum antiquam editionem retenti. Idem etiam statuendum de plerisque libris, quos Judæi in Canonem non receperunt .... Quoad reliquos libros attinet, certum est illos majori ex parte Hieronymi versionem spirare. Nam si quis contulerit Prophetarum versionem Latinam ex Hebræo, quæ inter ejus opera extat cum Vulgata Latina hodierna, deprehendet in omnibus ferè ad verbum convenire eundemque authorem referre...... Præterea Vulgatam ex Hebræo factam esse, non ex Græca Sept. ipsa ubique clamat, cum Hebræo enim plerumque convenit, ipsumque ad verbum magis exprimit quàm textus Græcus. Certum verò est nullum fuisse, qui post Hieronymum ad nostra tempora (ad Pagninum usque) Biblia ex Hebræo in Latinum transtulit. Pleraque etiam ... quæ in antiqua Versione defuerunt, quæque ex Heb. se supplevisse dicit Hieronymus in sua versione, exprimuntur in Vulgata: ut illud Hos.* 11. 2. Ex Ægypto vocavi filium meum. *Zach.* 12. 10. Videbunt in quem crucifixerunt. *Pleraque etiam ...... quæ in antiqua Vulgata aliter legebantur ac in Hebræo* (observante Hieronymo) *eodem modo hodie leguntur in Vulgata, ut in Hebræo, & ut legenda censuit Hieronymus ut Genes.* 2. 2. *ubi vetus editio ex Græca legebat*: Complevit Deus die sexto opus suum; *monuit Hieronymus secundum Hebræos legendum esse:* die 7. *& v.* 22.

(*a*) *Loc. cit.* §. 9. *p.* 356. *Col.* 1. (b) *Ibidem pag.* 405. *Col.* 2. *C. aut edit. Neap. pag.* 203.

& v. 22. *pro* ecstasin *vertit Hieronymus* soporem. *Gen.* 5. *in annis Patriarcharum convenit Vulgata cum Hebræa non cum Sept. Genes.* 35. 16. *pro* Hippodromum *vertit* verno tempore. *Jon.* 4. 6. *pro* Cucurbitam *vertit* Hederam. *At verò in omnibus istis locis, ut aliis multis Vulgata sequitur lectionem Hieronymi. Videatur Hieronymi Epistola* 89. *ad Augustinum, quæ est* II. *inter Epist. Augustini. Certum est in omnibus Vulgatam non esse Hieron. nam præter Psalmos & ea, quæ ex veteri Vulgata vel ex Theodotione addidit, ut in additionibus ad Estheram & Danielem est videre, etiam in reliquis libris ubique multa occurrunt, quæ Hieronymi non esse cuilibet clarum est. Nam in multis convenit cum veteri Vulg. sive* LXX. *ubi versio Sept. ab Heb. differt: sæpe cum Theod. Sym. Aq. sæpissime etiam aliter habet quàm Hieronymus in operibus suis vertendum censuit: Unde puram Hieron. non esse, sed mixtam facilè est colligere. Hieron. sæpius profitetur, se secundum Hebraicam veritatem transtulisse... Imò hoc sæpe inculcat, quod ipsum primum ad novam versionem impuleret ab Hebreo discrepantia; unde vix credibile est ipsum alicubi sponte ab Hebræo discessisse..... Prologo Galeato dicit quòd sibi omninò conscius non sit mutasse se quippiam de Hebraica veritate: Imò ad Judæos provocat, annon fideliter ex Hebræo verterit. Præfat. in Esdram & Nehem.* Quid Interpretem laniant? Interrogent &c. ut apud Alexandrum. *At I. sæpe relicto Hebræo Vulgata sequitur* LXX. *ut plurima loca aperte ostendunt. Genes.* 4. 8. *verba illa*, Egrediamur foras *non sunt in Hebræo, habet tamen Vulgata una cum* LXX. *Genes.* 8. 7. *in Hebr. est*, Corvus exibat exeundo, & redeundo; *ut legit Vulgata cum* LXX. Egrediebatur & non revertebatur. *Gen.* 4. 15. Propterea quicunque occiderit Cainum: *at Vulgata cum* LXX. *Sym. & Theodot. legerunt divisim:* Nequaquam id fiet... 1. *Sam.* 9. 24. *addit Vulg. ex* 70. *verba hæc, quæ non sunt in Hebræo.* Stravitque Saul in solario & dormivit. *Job* 1. 21.

desunt in Hebræo hæc quæ 70. & Vulgata habent, sicut Domino placuit, ita factum est. *Thren.* 3. *ult. in Hebr.* Dabis ipsis obfirmationem cordis, maledictionem tuam eis: *Vulg. & 70. legunt* laborem tuum... *Ezech.* 34. 16. Robustum & pingue perdam. *Vulgata legit*, Custodiam, *ut 70. Multa talia proferri possunt ubi relicto Hebraico Vulg. sequitur septuaginta; unde ingenue fatetur Bellar. Editionem Vulgatæ & Theodotionis editionibus lib.* 2. *de Verbo Dei c.* 11...... *Quædam addam ubi Hieronym. in Commentariis & Tractatibus, aliter ex Hebr. vertit, vel vertendum censet, quàm in Vulgata legitur. Gen.* 1. 2. *legit Vulg.* Spiritus Domini ferebatur super aquas: *Hieron. Quæst. Hebr. docet Heb. vertendum* incubabat; *Gen.* 3. 8. *legit Vulg.* ad auram post meridiem, *Hieron. verò vult legendum*, ad vesperam. *Gen.* 4. 4. *legit Vulgata* Et respexit Dominus ad Abel, & munera ejus, &c. *Hieron. Theodotionis versionem præfert, qui vertit*, Et inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium ejus &c. .... *Sic in plurimis aliis locis, affirmant Villalpan.... Morin. Exercit. 6. c.* 12. *sect.* 7. *Id evidenter colligitur ex S. Hieronymi Commentariis, in quorum variis locis aliter vertit, addit, vel subtrahit, quàm antea in translatione fecisset. Præter hæc etiam quædam Vulgata Editio addit, quæ non sunt in Hebræo; Quædam transponit aliter ac in Hebræo; quæ omnia ostendunt authorem non Hebræos codices secutum, cùm tamen Hieronymus profiteatur se ad verbum, quantum fieri poterat ex Hebræo transtulisse.... Exempla additionum habemus, Eccles. ubi in Hebræo legimus*, Omnibus idem eventus, bono & puro & impuro, *Vulgata legit*, Bono & malo puro & impuro. *Jos.* 21. 36. *adduntur in Vulgata*, in solitudine, *item nomen Civitatis* Misor, *quæ non sunt in Hebræo*. (Incidenter nota Natalem perperam correxisse Waltonum, quum pro Josue citat Isaiam.) *Omissionis, inter alia Gen.* 49. 32. *ubi versiculus, qui est, in Hebræo, omittitur in Vulgata scil.* Possessio agri & speluncæ

quæ

quæ eſt in eo ex filiis Heth. *Ruth* 2. 19. *ad finem hæc verba ſunt in Hebræo*, Ipſe eſt vindex noſter, *quæ in Vulgata deſunt*. *Thren.* 1. 12. *hæc verba*, Annon ad vos, *quæ ſunt in Hebræo, in Vulgata non habentur. Tranſpoſitionis ſeu Metatheſis*, *Hoſ.* 12. 3. 4. *In Hebræo ſic legimus*, In utero ſupplantavit Fratrem, & in robore ſuo dominatus eſt Angelo, & prævaluit. *Vulg. verò ita legit & invertit*, In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt. *Ex his verò aliiſque quæ afferri poſſunt locis, Vulgatam non eſſe puram Hieronymi verſionem, ſed ex Hieronymi aliiſque, maxime verò ex Vulgata veteri mixtam patet.*

LXX. Poſſem & alia inſignia loca referre, quæ de turpiſſimo plagio in detrimentum Romanæ Eccleſiæ Natalem Alexandrum damnant, ſed ne longius abeam, omnibus Catholicis monitum eſſe velim, articulo V. præfatæ differt. nihil fere auctoritatis, nihilque rationis tangere quod non fuerit mutuatus a Waltono Prolegom. X. incipiendo a §. 11. ad finem uſque: Interdum iiſdem utitur verbis, interdum quod waltonus antea, ipſe poſtea profert, & viciſſim, interdum etiam ad litteram conſarcinat in præfato articulo V. de verſione Vulgatæ Latinæ, quæ Waltonus tradidit Prolegom. VI. de integritate Hebraici Textus. Quare quidquid legis apud Natalem eo loci, incipiendo ab illis verbis *Itaque Codices Hebræi Veteris &c.* aduſque authoritatem Simeonis de Muis excluſive, totum habet pariter Waltonus, & maxima ex parte quoad eadem verba. Item & ſequentes probationes poſitæ ſub *τὸ Tertio*, *Quarto*, *Quinto*, *Sexto*, teſtimonium primum Auguſtini, utrumque Hieronymi, & Ambroſii, licet deſcribat Natalis ad fidem correctiorum Textuum. Item & objectum tertium quod ſibi proponit, cum ſolutione habes apud Waltonum: ita tandem lubuit

(a) *Edit. Pariſien. pag.* 407. *E. & Edition. Neap. Tom.* IX. *p.* 207.
(b) *Prolegom.* VI. §. 16. *& ſeqq. a pag.* 284.
(c) *Proleg.* VI. §. 10. *&* 11.

buit Alexandro celebrare doctrinam hujus Hæretici, & omnibus Catholicis legendam proponere, atque si ea nihil mendacii, nihil hæreticæ pravitatis complecteretur; quum e contra compertum sit Poliglottam Waltoni, cui præfixa sunt ejusdem Prolegomena in ortu suo damnatam fuisse a Romana Sede per speciale decretum die 20. Novembris 1663. Et ipse quàm lubentissime fateor pleraque contineri, in præfata Waltoniana doctrina quæ vera sunt, gravibus monumentis nixa, & Catholicæ Religioni minime adversantia; sed multo plura ea complectitur, speciem tantum veritatis primo intuitu exhibentia, intrinsecùs tamen sicut mendaciis cavillis & decipulis referta, ita directe aut indirecte authentiæ Vulgaræ correctæ Clementis refragantur, ut opportunius in hisce Demonstrationibus ad specialem crisim revocabimus.

§. VII.

De catalogo Auctorum, quorum & judicii momenta probabuntur vel repellentur, & tempora quibus floruerunt, & editiones, quarum Auctor operis usum habuit, percensentur.

LXXI. Quod decretissimum mihi sit, præcipuas assertiones meas ad aliorum virorum opera pro re nata traducere, jam superius præmonui; (a) quod Auctorum quos cito pro confessa mea tenuitate sedulò studuerim mentem assequi, nunc omnibus compertum esse volo atque testatum: qua de caussa haud contentus sum illorum testimonia ex aliis ab ipsis, assumere; sed consulere ipsorum fontes uno vel altero excepto qui neque ad horam adesse potuit. Et quoniam non semel viri de Republica litteraria meritò conqueruntur de vitio quorumdam Scriptorum, qui per incuriam, & interdum non sine dolo parci sunt in ci-

(a) *V. n.* XIII.

citandis Superiorum virorum testimoniis; propter quod olim Hieronymus ita Æmulum suum Ruffinum carpebat: *Ne me mittas ad sex millia librorum, sed ipsa loca nomina: nec hoc mihi sufficiet, nisi eadem dicta ad verbum protuleris* (a) idcirco cordi habens majorem, qua possum, meis citationibus fidem facere *primò* Auctorum, quos citabo, verba uti jacent exscribam, quæ si interdum trito punctorum hoc signo... truncata proferam, ea dumtaxat mente, ne iis quæ ad rem pro qua restauranda assumuntur, importuna videntur & superflua, inani otio atque molestia amicum lectorem afficiam; *secundò* minutissima loca, imo & paginas illarum editionum quarum usus mihi fuit, indicabo ad hoc, ut Lector quàm facillime, si animo occurrat, de recta vel mala interpretandi ratione quam tenui, me queat evincere; *tertiò* quia opera quorumdam virorum variis in locis & temporibus recusa sunt, atque ita idem locus pro varietate editionum sub variis paginibus invenitur, sicut etiam imperitia temporum, in quibus nonnulli viri docti floruerunt & suas operas elucubrarunt, caussæ fuit quibusdam junioribus Theologis, ut hæc tempora non distinguentes, nec & jura ad quorum normam Auctores illi scribebant, cognoverint, hæc inquam me moverunt ad texendum sequentem catalogum, in quo Auctorum quos citabo tam editiones quibus usus sum, quàm tempora in quibus floruerunt, distincte percensebo.

A

Acacius Episcopus Melitenes in Homil. habita in Concil. Ephesino apud Harduinum Tomo I. p. 3639. floruit circa annum Christi 431.

Alphonsi Salmeronis Prolegomena extantia apud Tom. I. Comment. in Evangelia editionis Coloniensis Agrip. 1612. obiit 29. Februarii 1585.

S. Am-

(a) *Lib. II. Apolog. in Ruffinum Cap. 111. Tom. II. p. 511. G.*

S. Ambrosius editionis Parisiens. 1614. obiit 4. April. 397.

Ambrosii Catarini Annotationes contra Cajetanum edit. Paris. 1535. obiit circa annum 1553.

Antonii Casini Encyclopedia edit. Venetæ 1747. in Romano Collegio Societatis Jesu honore primæ Cathedræ fungebatur anno 1742.

Antonii Possevini Bibliotheca edit. Romanæ an. 1593. obiit 26. Feb. 1611.

S. Augustinus edit. Paris. 1689. obiit 28. Augusti an.430.

Augustini Barbosa Remissiones Doctorum super varia loca Concil. Tridentini apud codicem ejusdem Concilii. obiit an. 1649.

Augustinus Calmet in Scripturam edit. Venetæ 1734. obiit anno 1757.

Augustinus Steuchus Eugubinus in Genesim edit. Venetæ 1591. floruit circa an. 1515.

B

Baronii Annales Ecclesi. edit. Lucæ 1738. obiit 30. Junii 1605.

Ven. Bellarminus disputationes de Controver. Fidei edit. Antuerp. 1592. Et de Scriptoribus Eccles. edit. Venet. 1728. obiit 17. Septem. 1621.

Biblia Maxima P. Joannis de la Haje edit. Lutet. anno 1660. eodem quippe tempore claruit.

Bibliotheca Capuccinorum edit. Januensis an. 1691.

Briani Waltoni Angli Prolegomena apud Apparatum Biblicum edit. Tiguri an. 1673. obiit 1661.

Buddæus *vide nomen* Joannes Bud.

Bukentop *vide nomen* Henricus.

Bullarium restitutum a Laertio Cherubino edit. Romæ 1617.

Cal-

C

Calmet *vide nomen* Auguftinus.

Canus *vid. nom.* Melchior-Canus.

Cafinus *vide nom.* Antonius.

Claudii Fraffen difquifitiones Biblicæ edit. Parif. an. 1695. obiit 26. Febr. 1711.

Clemens Alexandrinus edit. Lutetiæ an. 1629. obiit circa an. 220.

Concilium Tridentinum cum declaration. Cardin. Interpretum, & Remiffion. Auguftini Barbof. edit. Colon. Agrip. an. 1621.

Critici facri edit. Francofordienf. ad Mœnum an. 1696.

S. Cyrillus Hierofolymitanus edit. Lutetiæ an. 1631. floruit circa 380.

D

Decretalium liber VI. edit. Lugdun. 1556.

Dominicus Gravina de Catholicis Præfcription. edit. Neapol. 1627. obiit 26. Augufti 1646.

E

S. Epiphanius Epifcop. Salaminæ edit. Colon. Agripp. an. 1617. obiit an. 403.

Erafmus Roterodamus in Novum Teftam. penes criticos facros, obiit 12. Julii 1536.

Eufebii Cæfarienfis Præparationes, & Demonftrat. Evang. edit. Parif. an. 1628. Hiftoria Ecclef. apud Scriptores Græcos *de quibus infra*, obiit circa an. 338.

F

Fortunati Fanenfis Polyglotta edit. Venetæ an. 1609. floruit eodem anno.

Franciscus de Mendoza in Libros Regum edit. Lugdun. an. 1625. floruit circa eundem annum.

Frassen *vide nomen* Claudius.

G

Gaspar Juenin Institut. Theolog. edit. Antuerp. 1746. obiit 16. Decemb. 1713.

Gotti *vide nomen* Vincentius.

Gregorius de Valentia in Analysi Fidei Cathol. edit. Venetæ 1581. obiit 25. Aprilis 1603.

S. Gregorius Magnus edit. Paris. anno 1619. obiit 12. Mart. 604.

Guidonis Michaelis le Jay Polyglotta edit. Lutetiæ an. 1645. obiit 10. Jul. 1675.

H

Harduini Historia Concil. edit. Paris. an. 1714. obiit 3. Septemb. 1729.

Henrici de Bukentop Lux de Luce edit. Agrippinæ an. 1710. eodem tempore floruit.

S. Hieronymus edit. Paris. 1723. obiit 30. Septembris an. 420.

S. Hilarius edit. Veronæ 1730. obiit 10. Septemb. circa an. 367.

Honorati a Sancta Maria Animadversiones in Regulas & usum Critices edit. Venet. an. 1738.

I

Jacobi Pamelii Annotationes in Tertullianum penes Oper. ejusdem Tertulliani, obiit mense Sept. 1587.

Joannes Baptista Villalpandus in Ezechiel. edit. Romanæ an. 1604. obiit 22. Maii an. 1608.

Joan-

Joannes Caſſianus in Inſtitut. edit. Atrabat. an. 1628. obiit an. Chriſti 433.

Joannes Clericus in Quæſtionibus Hieronymianis edit. Amſtelodam. an. 1700. obiit 8. Januar. 1736.

Joannes de la Haje *vide* Biblia Maxima.

Joannis Franciſci Buddæi Iſagoge edit. Lipſiæ an. 1730. ſcribebat 1727.

Joannis Lorini Comment. in Pſalm. edit. Lugdun. 1623. obiit 29. Martii 1634.

Joannis Martianæi Divina Bibliotheca S. Hieronymi edit. Pariſ. 1693. obiit 16. Julii 1717.

Joannis Millii Prolegomena in Novum Teſtam. edit. Oxonienſ. 1707. obiit eodem fere anno.

Joannis Morini Exercitationes Bibliacæ edit. Pariſ. 1633. obiit 28. Febr. 1659.

Joannes Silveira in Opuſcula varia edit. Lugdun. 1675. obiit 17. Julii 1687.

Joſeph Angelus a Nativitate B. V. Mariæ in Lector. Biblic. quem Cremonæ publici juris fecit an. 1724.

Joſeph Hebræus contra Apionem edit. Lugdun. 1539. ſcribebat an. Chriſti 93.

S. Irenæus qui pro fide Chriſti Martyr occubuit an. 202. edit. Colon. Agrip. 1596.

S. Iſidorus edit. Pariſienſ. an. 1601. obiit 4. April. an. 636.

Juenin *vide* nomen Gaſpar.

S. Juſtinus edit. Pariſ. an. 1615. martyrio coronatus an. 167.

L

Le Jay *vide nomen* Guido.

Lorinus *vide nomen* Joannes.

Ludovici de Tena Iſagoge in Scriptur. edit. Matritenſ. 1611. eodem florebat anno.

Lyranus in Sacr. Script. edit. Venet. an. 1588. obiit 24. Octobr. 1340.

M

Mariani Victorii Scholia in D. Hieronymum penes Opera ejusdem Hieron. ut supra, floruit circa an. 1560.
Marii a Calvasio Concordantiæ Sacror. Bibliorum edit. Romanæ 1621.
Martianæi *vide nomen* Joannes.
Melchior Canus de Locis Theolog. edit. Bassan. 1746. obiit an. 1560.
Millius *vide* Joannes.
Morinus *vide* Joannes.

N

Natalis Alexander Histor. Ecclesiast. edit. Neapol. 1740. obiit 21. August. 1724.
Nicolai Serarii Prolegom. Biblica edit. Moguntin. an. 1612. obiit 20. Majas 1609.
Nicolai Zegeri Annotationes in Novum Testam. apud Criticos Sacros *supra*, obiit 20. August. 1559.

O

Origenes edit. Paris. 1608. obiit an. 254.

P

Pallavicinus in Histor. Concil. Trident. edit. Mediolan. 1745. obiit 5. Junii 1667.
B. Petri Archiepiscopi Alexandrini & Martyris Canones, apud Harduinum supra Tom. I. pag. 3639. floruit circa 431.
Petri Sabatier Vetus Italica, edit. Paris. 1751.
Philonis Judæi Exegetica in Libros Mosis edit. Antuerp. 1614. obiit an. 40. a Christo nato.

Posse-

Possevinus *vide nomen* Antonius.

R

Riccardus Simonius in Histor. Critic. Veteris Testam. edit. Amstelodami an. 1685. obiit 11. April. 1717.

S

Sabatier *vide nomen* Petrus.
Salmeron *vide nomen* Alphonsus.
Scriptores Græci edit. Coloni. Allogobron. 1612.
Sebastianus Munsterus penes Criticos Sacros. obiit 23. Majas 1552.
Serarius *vide nomen* Nicolaus.
Simeon de Muis in Præfat. ad varia sacra apud Criticos Sacros Tom. VII.
Simonius *vide nomen* Riccardus.
Sixti Senensis Bibliotheca S. edit. Neapolitan. 1742. obiit 1569.
Sixtini Amama Anti-Barbarus Biblicus edit. Franequerensis 1656. obiit 1650.
Stapletonus *vide* Thomas.
Stephanus Menochius in Script. edit. Colon. Agrip. 1630. obiit 17. Julii 1687.
Steuchus *vide nomen* Augustinus.

T

Tertullianus edit. Paris. 1608. obiit an. 216.
Thomæ Jamesii Bellum Papale edit. Londinensis 1678. obiit an. 1629.
Thomæ Stapletonis Controvers. de Potest. Eccles. edit. Antuerp. an. 1592. obiit 12. Octob. 1598.

Wal-

V

Waltonus *vide nomen* Brianus.

Vetus Teſtamentum Latinum ſecundum Septuaginta editum Romæ auctoritate Sixti V. 1588.

Vincentius Ludovicus Gotti de Veritate Relig. Chriſtianæ edit. Romæ 1735.

Z

Zegerus *vide nomen* Nicolaus.

D E-

DEMONSTRATIO I.

JAm ad primæ Demonſtrationis materiam diſcutiendam venti ſumus, quam circa integritas vel corruptio hodiernorum fontium Hebræi Veteris Teſtamenti Græcive Novi, necnon aliorumque Biblicorum Contextuum ſive Orientalium, ſive Latinorum nos præcipue tenebunt; utpote ex quorum ſinceritate aut conſtupratione, ceu ex primo ſelecto perpendiculo deciſio ſuſcepti argumenti inevitabili conſecutione pendet. (*a*)

CAPUT PRIMUM.

De integritate & ſinceritate hodierni Hebræi Textus Veteris Teſtamenti.

QUàm operoſi & prærupti negotii ſit præſens controverſia bene oſtendunt tam graviſſima momenta quibus altera pars fulcitur, quàm conſectaria quæ ex deciſione iſtius inevitabiliter enaſcuntur. Si ad veteres provocamus, iſti videntur utrique ſententiæ ſuffragium æqua lance præſtare; ſi conſuluerimus recentiores, tantæ de eorum judiciis ambiguitates occurrunt, ut collatis adinvicem ſuis ſententiis pro opportunitate prolatis, nihil ſane certi, atque tuti ex eis erui poſſe videatur; uſque adeo, ut paſſim aſſumantur ejuſdem auctoris teſtimonia pro utraque parte. Ubi momenta a ratione petita quàm apprime ſuadere exiſtimantur, non potuiſſe omnes Hebræos codices corruptionem ſubire; nonnulla ſecus inſignia vitia, quæ in omnibus hodiernis codicibus Hebraicis irrepſiſſe viri docti obſervant, animum trahunt ad ſentiendum oppoſitum. Longe profecto res iſta majoris penſi evadit propter graviſſimas controverſias, nec numero paucas ſibi ar-
cto

(a) *Recole ſuperius expoſita num.* VI. *&* XXIV.

cto nexu colligatas, quarum princeps utrum Vulgata vetus (quam Concilium Tridentinum suo calculo probavit, & ad cujus mentem Romana Sedes perpolivit a mendis irrepsis librariorum, & petulantium ingeniorum, ac tandem Clemens VIII. uti canonicam proposuit fidelibus,) sit præferenda, vel postponenda fontibus, sive sit emendanda ubi a fontibus discrepat. Semel enim agnita puritate, & sinceritate hodierni Hebræi (quod idipsum de Græco fonte velim intelligas) consectarium est, agnoscatur quoque, Vulgatam Clementis tot complecti menda, quot in locis veteris Testamenti non respondet Hebræo; atque ita eam ab extantibus Hebræis codicibus omnem authentiam emendicare. Tanti igitur interest præsens controversia, quanti refert totum fere susceptum institutum: heinc censeo me haud vocari in culpam prolixi hominis si, in iis quæ eruditi hodierni paucis expediunt, diffusa oratione prolatabo. Hisce nostris temporibus, non modo Catholicos inter & Hæreticos, sed ipsos quoque Romanos doctores ignis accensus est, atque longe lateque flagrat; itaque minime abs re futurum esse arbitror si latioribus, ac magis iriguis venis, pro comperta propriæ mentis tenuitate, ad illius extinctionem accedam.

§. I.

De iis qui pro puritate, vel turbido fluxu hodierni Hebræi fontis velis, remisque propugnarunt.

2. Tametsi a primis Ecclesiæ Seculis litigium istud emerserit, ut clare colligitur ex Augustino (a) referente momenta eorum, qui tuebantur Judæos in suis codicibus quædam mutasse, ut nostris minueretur auctoritas; quum verò Christianus Occidens cœpit in publicis, & privatis lectionibus usu suo consecrare Hieronymianam versionem, tali-

(a) *Lib. XV. de Civit. Dei Cap.* XI. *Tom. VII. col.* 300. *E. F.*

taliter gradatim consopitum ivit, ut ab octavo Ecclesiæ Seculo ad usque quintum decimum vix unus, vel alter invenitur qui sedulò recordaretur; quoniam versione Hieronymiana omnes religiose contenti, hanc solam commentariis illustrarunt, hanc solam in disputationibus consuluerunt, hanc præcones Divini verbi in concionibus per testimonia assumebant, hancque tandem ut certam atque infallibilem regulam tenuere, in decidendis fidei, & morum controversiis. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, Desiderius Erasmus Roterodamus quum abundaret ingenio & memoria, necnon æstu humanæ gloriæ exardesceret, deseruit monachatum cui nomen dederat, & visitatis multis Europæ Accademiis, oblitus tandem olei Sacerdotalis, quo unctus erat, satyricosque imitatus, protulit in lucem pleraque scripta Ateismo, Septicismo, criminationibus in veteres Patres, atque Theologos, referta. Ductus *eodem superbiæ typho*, inquit Possevinus (*a*) *lutulentos pedes in divinos codices inseruit*; quippe qui anno 1505. in lucem edidit annotationes in novum Testamentum Laurentii Vallæ, licet optimi Grammatici, & linguarum periti, tamen de multis erroribus in fide convicti, atque mulctati: quamquam non alio quam testimonio solius Erasmi constet nobis, Vallam & non potius eundem Erasmum hujus opellæ fuisse auctorem; namque neminem invenio ante Erasmum, qui præfatas annotationes Vallæ adjudicet; & aliunde testatur Erasmus (*b*) eas se invenisse in pervetusta quapiam bibliotheca, retento bibliothecæ nomine. Elapso decennio nimirum anno 1515. alias annotationes in novum Testamentum publici juris fecit; & his mediantibus cœpit inter fideles evulgari, Textum Hebræum, & Græcum quos hodie habemus, quibusque eruditi utuntur esse purissimos

N fon-

(a) *In Appar. Sacr. ver.* Desiderii *Tom. I. p.* 388.
(b) *Præfat. in Annot. Laurentii Vallæ nuncupata Christophoro Fischero apud Crit. Sacr. Tom. IV. part.* 1. *sub init.*

fontes, complecti ipsas Prophetarum & Apostolorum litteras, Vulgatam Latinam permultis scatere evidentibus ac prodigiosis solæcismis, Vulgatæ Interpretem quisquis is fuerit interdum dormitasse, vel hallucinatum fuisse: atque ita cuique debere cordi esse hauriendi divinas litteras ex hisce purissimis fontibus qui presto sunt nobis, & non a qualibuscumque rivulis, ac lacunis, toties aliunde aliò transfusis. (*a*)

3. Inter omnes novitatum amatores, qui hujusmodi Erasmi virus biberunt, Lutherus se eo inebriari voluit, usque adeo propter ista, & alia principia in quibus unius labii erant Erasmus & Lutherus, in proverbium transiit: *Erasmus innuit, Lutherus irruit; Erasmus pavit ova, Lutherus excludit pullos; Erasmus dubitat, Lutherus asseverat*; & aliud: *Vel Erasmus Lutherizat, vel Lutherus Erasmizat*. Præsto in aciem eruperunt probatissimi viri Catholici, qui ad præfata Erasmi apposuerunt censoriam virgulam, quos inter excelluit noster Frater Franciscus Titelmanus, de quo percelebris Melchior Canus scribit (*b*) *vir litteris & eruditione præcipuus, moribus & pietate insignis;* & taliter insectatus fuit, potissimum in Apologia pro antiquo Interprete, ut sæpe Erasmus soleret dicere (*c*) *se nullius præter Titelmani eruditionem pertimescere*. Qua de causa sublestæ fidei mihi sunt quæ nonnulli moderni historici referunt, puta Erasmicam Novi Testamenti Versionem fuisse a Leone X., cui nuncupata fuerat, laudatam, quoque probatam a supremo Inquisitionis in Hispania Senatu; quandoquidem non alio testimonio isti nituntur nisi ejusdem Erasmi in suis epistolis; at quis prohibet quò minus dicamus, hasce laudes & consimilia encomia Erasmicæ Versionis vel ab Erasmo, vel a suis assentatoribus conficta fuisse, ut nimirum major fides ei conciliaretur?

4. Quis

(a) *Legesis præfatas annotationes necnon earundem Erasmicas præfationes apud Crit. Sacr. cit.* (b) *Lib. II. de loc. Theol. Cap.* XIII. *p.* 55. *col.* 1.
(c) *Apud biblioth. Capuccinorum p.* 130.

4. Quis ignorat tam in ore, quàm in calamo Erasmi vitium mendacii, ac inconstantiæ ad prodigium abundasse, *modo ajens*, scribit Possevinus loco cit. (quippe qui triennio ante mortem Erasmi natus, magis sane quàm recentiores historici rem perspectam habuit) *modo negans*, *infernum cælo miscuit .... Hæreticis autem modo blandiens, modo stilum adversus Lutherum acuens*. Et noster Cornelius Mussus vir ingenii felicitate pene incomparabilis *Erasme*, inquiebat, (*a*) *ut erasum te velim ex omnibus libris meis*. Item, ut idem Possevinus notat, truncavit Erasmus a Novo Testamento tum Apocalypsim Divi Joannis, tum ex epistola ejusdem Apostoli celeberrimum Sanctissimæ Trinitatis testimonium; quis ergo credet tam improbam, atque scelestam Erasmi versionem potuisse laudari a Leone X., & permitti a supremo Senatu Inquisitionis Hispaniarum? Quibus & si cuique perspectum fiat, sententiam de puritate & sinceritate hodiernorum fontium, & potissimum ea ratione qua nonnulli hodierni Critici tuentur, ab Erasmo enatam, atque a Luthero, Calvino, aliisque infensis Romanæ Ecclesiæ pro viribus deprædicatam, propagatam, acriterque defensatam; ut verò id majori lumine perspectum fiat, lubet exscribere testimonia nonnullorum, qui per succedentia tempora floruere.

5. Salmeron unus ex primis decem Patribus Societatis Jesu, ac ex Theologis optimæ famæ qui Concilio Tridentino interfuerunt: *Calvinus*, inquit (*b*) *cum Georgio Majori, & Kemnitio in examine sessionis quartæ Concilii Tridentini dicunt Textum Hebræum incorruptum*.

Thomas Stapletonus Anglus, qui ob singularem in Scriptura eruditionem, & zelum contra Hæreticos Clementi VIII. acceptissimus, differens de integritate Hebraici Contextus, ut simpliciter nunc in bibliis habetur:

N 2 Hæc

(a) *Apud Possevinum cit.*
(b) *Proleg. IV. p. 39. col. 2.*

Hac de re, inquit, (*a*) *diversæ fuerunt hodie opiniones. Una eorum fuit, qui solum Textum Hebraicum pro Scriptura sacra in veteri Testamento admittendum censuerunt propter rationes inductas, & isti repudiata tam Græca, quàm Latina versione, quicquid juxta Hebræum legitur, id demum esse verbum Dei, & authoritatem habere Divinam, volunt. Alia opinio fuit Hebraicam originem tantæ saltem authoritatis esse, ut nulla Veteris Testamenti versio authentica haberetur, nisi quæ immediate ex Hebræo verteretur. Utramque hanc amplexi sunt hodie Hæretici, & posteriorem adhuc mordicus tenent. Sed neutra potest subsistere .... Tertia opinio fuit saltem cæteras versiones Veteris Testamenti sic esse retinendas, ut liberum sit semper adeoque necessarium ad fontem Hebraicum recurrere, tamquam certius quiddam, & indubitatum Dei verbum. Hanc quoque Hæretici sustinent.*

7. Bellarminus (*b*) referens argumenta quibus Hæretici Vulgatam editionem moliuntur infirmare *secundum*, inquit, *argumentum* (Hæreticorum) *magis credendum est, esse verbum Dei quod habetur in fontibus Hebraicorum & Græcorum codicum, quàm quod habetur in rivulis versionum ..*

8. Dominicus Gravina (*c*) *Novatores*, scribit, *in odium Vulgatæ editionis Hebraicum Textum usque in hanc diem purissimum fontem esse occinunt, & usquequaque incorruptum, adeo, ut quæcumque versio eorum Vulgata per illum tamquam per perpendiculum rectum sit examinanda, & dirigenda: sic expresse Calvinus in antidoto Concilii, Kemnitius in examine Sessionis* 4. *Witakerus Controversia prima quæst.* 2. Nostræ, *ait*, Ecclesiæ Anglicanæ, Calvinianæ, Hebraicam veteris, & Græcam novi Testamenti esse sinceram & authenticam sentiunt. *Idem tenent modernio-*

(a) *Controv.* v. *de Potestat. Ecclesiast. q.* 3. *art.* 1. *p.* 516.
(b) *Lib. II. de Verbo Dei Cap.* XI. *col.* 95. *E.*
(c) *Lib. IV. Catholic. præscript. Controv.* IV. *p.* 258. *col.* 2.

derniores Hunnius, *Junius &c. & ferme universi nostræ tempestatis Hæretici cum perfidis Judæis omnino conspirantes*. Tum pergit referendo, quod licet nonnulli Catholici ut Dominicus Bannes, Arias Montanus, Montoja defensarint puritatem hodierni Textus Hebraici *sed alio fine, nimirum, ut editionum rivulos limpidissime fluere e non turbato fonte monstrarent*. Hisce viris catholicis consentit Gaspar Juvenin (a) *Heterodoxi*, inquit, *passim contendunt Textus nostros Hebraicum, & Græcum, esse, in omnibus ipsosmet Prophetarum & Apostolorum Textus*. (b)

9. Præ cæteris tamen præstat audire Waltonum, quum validius censeatur ab hoste testimonium. *Multi sunt*, inquit (c) *inter veteres, qui Judæos accusare videntur de corruptione Textus Hebraici voluntaria: inter quos Justinus Martyr Dial. cum Tryphone. Iren. l. 3. Cap. 24. Tertull. de hab. Mulier. Cap. 3. Nec aliter sentire videntur Athanasius in Synopsi Script. Euseb. Hist. lib 4. cap. 18. Chrysost. Hom. 5. in Matth. & Hieronym. ipse in Gal. 3. licet hic postea sententiam contrariam acerrime defendit.... Inter recentiores tamen plures hanc sententiam propugnarunt. Ante Concilium Tridentinum pauciores, ut Lyr. in Hos. 9. 12. Paul. Burg. in Psal. 22. & alibi. Porchetus in Victoria contra Judæos part. 1. cap. 2. & per totum. cap. 15. Galatinus, qui omnia fere ex Porcheto transcripsit. Nebiensis Psal. 22. post Concilium verò multò plures: Canus locorum lib. 2. Castrius, Proleg. in Isajam. Gargias contra perfidiam Judæorum. Salmer. in Proleg. 4. August. Steucbus in recognit. vet. Testam. Mercenus in Gen. 3. 18. Greg. de Val Analys. lib. 8. cap. 5. Serar. Proleg. cap. 11. q. 2. Grodonius controv. 1. cap. 9. quibus Cochlæum, Tannerum, aliosque adiicere licet, qui in gratiam Vulgatæ lat. Hebræum textum malitiose a Judæis cor-*

(a) *Differt.* IV. *de Loc. Theol. cap.* VI. *art.* II. *p.* 81.
(b) *Videsis n.* 153. (c) *Proleg.* VII. §. 2. *p.* 277. *col.* 2.

corruptum eſſe clamitant. Mira Waltoni ſententia, quæ ut cuique innoteſcat, oportet, aliquantulum pedem hic figamus.

10. Numquam Romani Doctores, ſed ſemper ipſi Hæretici pro temporum varietate & arbitrio, modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram declinarunt relinquentes ſemitas veterum Patrum, & Theologorum, novos atque præruptos calles ſibi ſtruendo. Ex quo Eccleſia quinto Seculo reparatæ ſalutis Hieronymianam verſionem adoptavit ea utendo in publicis & privatis lectionibus, in Commentariis, & concionibus, manifeſtiſſimum indicium eſt, huic & non fontibus fidem ſuam plene alligaſſe; ex quo per tot ſecula in dirimendis controverſiis fidei, & morum Vulgatam unice conſuluit, ad fidem iſtius eas reſecavit nihil cogitando de fontibus, argumento pariter eſt, Eccleſiam taliter Vulgatæ Latinæ fuiſſe confiſam, ut ſuperfluum putarit conſulere fontes. Itaque ſi ad uſque Eraſmi & Lutheri tempora, Vulgata Latina conſtanti, atque pacifica ſupremæ auctoritatis poſſeſſione gaudebat, & iſti cœperunt ab hujuſmodi inveterato poſſeſſionis jure quam inique eam exturbare, plane, non Romani Doctores in gratiam Vulgatæ clamitant, Textum Hebræum a Judæis malitioſe corruptum; bene vero Hæretici, odio Vulgatæ quæ ipſorum deliria fortius, clariuſque damnat, inſano impetu vociferantur, hodiernum Hebræum eſſe puriſſimum fontem, necnon ipſas Prophetarum, & Apoſtolorum incorruptas litteras.

11. Dicam amplius: ſi ipſo Waltono teſte, multi ſunt inter veteres, qui videntur accuſare Judæos de voluntaria corruptione Hebraici Textus, quomodo verificatur, recentiores Romanos Doctores in gratiam Vulgatæ, & quaſi noviter idem aſſertum antiquorum defenſare? Nec mirum ſi inter recentiores, & ante Concilium Tridentinum pauciores propugnarunt ſententiam de turbido fluxu hodierni Hebræi; quoniam ante tempora Eraſmi, nimirum

cir-

circiter quadraginta annis ante Concilium, nemo contendebat puritatem hodierni Hebræi quin pro data opportunitate, & alio consilio ducti, puta convincendi vafritiem Judæorum, nonnulla loca corrupta in hodierno Hebræo taxabant. Ita noster Lyranus, Paulus Burgensis Episcopus, Porchetus, Galatinus, aliique ut in sequenti paragrapho. At post editionem prædictarum annotationum Vallæ & Erasmi, ubi tota Hæreticorum turba hisce fidenter adhæsit; ex Catholicis autem quò magis pii atque eruditiores erant, eò Hæreticis sese magis opposuere, adeo ut tametsi agnoscerent nonnulla menda in Vulgata reperiri, ista tamen non esse Interpretis asseverabant, bene verò irrepta vel exscribentium incuria, vel petulantia ingeniorum: & hæc sane caussa fuit, unde Tridentini Patres suo calculo probarunt Vulgatam veterem, necnon præceperunt castigationem ejusdem quoad præfata menda. Sive igitur originem controversiæ spectemus, sive testimonia Catholicorum, Waltono quoque suffragante, arbitror, satis exenucleatis constare sententiam de integritate, & sinceritate hodierni Hebræi, in ore Hæreticorum initium, atque incrementum suscepisse: sicut e contra, eò semper descendisse præclaros viros Catholicæ Ecclesiæ, ut cuique perspectum foret hodiernum Hebræum, in iis omnibus locis pro interpolato haberi, atque teneri ubi discrepat a Vulgata antiqui Interpretis. Non me latet nonnullos quoque viros doctos de Romana communione, tutatos fuisse sinceritatem hodierni Hebræi; sed nunc satis habeo recolere verba laudati Dominici Gravina eo consilio asseruisse, *nimirum, ut editionum rivulos ex non turbato fonte limpide fluere monstrarent*; de ceteris verò, quæ in contrarium quisque paratus erit objectare, Deo bene juvante, opportuniori loco sermo redibit.

A S-

ASSERTIO.

Hodiernus Hebraicus Textus constuprationibus scatet; ideoque ubi a Vulgata discrepat non est ei fidendum.

§. II.

Proferuntur veterum Patrum monumenta.

JUSTINUS.

12. In Dialogo cum Tryphone (a) *Verum enim vero* (inquit juxta versionem ex Græco Joannis Langi) *magistris vestris fidem non habeo, qui non assentiuntur, benè Interpretationem a Septuaginta..... Senioribus esse institutam: sed & ipsi interpretari & exponere scripturas contendunt. Ac quod illi multos & integros prorsus locos illarum ex translatione eorum qui Ptolomæo fuere seniorum sustulerunt ... hic Trypho dixit, ut nobis primò dicas quænam sunt, quas omnino inductas abrogatasque esse scripturas asseveras, rogamus*. Cui Justinus statim opposuit quatuor hujuscemodi corruptelarum specimina, quarum una, *ex Psalmo*, pergit, *nonagesimo quinto quem David cecinit per pauca hæc abstulerunt* a ligno, *reliquerunt;* dicite in nationibus; Dominus regnavit ... *& Trypho inquit: an pro eo atque ais in scripturis aliquid detraxerint aut depravarint principes populi Deus scire potest: videtur autem hoc incredibile &c.*

13. Nec sufficit dicere Justinum intelligi de interpolationibus, quibus Judæi temerarunt non quidem Hebræum Textum, sed exemplaria versionis Septuaginta; quoniam *τὸ à ligno* nuspiam a tempore Justini usque nunc lectum est in Hebræo, & e contra uncialibus, ut ita dicam, lit-

(a) *Pag.* 297. *B.*

litteris legebatur ante, & post Justini tempora tam in versione Septuaginta, quàm in Vulgata Itala ex Septuaginta expressa. Quod autem id verum sit, insigne argumentum suppeditant Psalterium antiquum ac Romanum, necnon Justinus, Ephrem, Arnobius, Augustinus, Ambrosius, Cassiodorus, Haimo, Tertullianus, Cyprianus, Leo, Gregorius, Isidorus, Lactantius, Bernardus, qui in suis scriptis ita legunt præfatum locum; quosque citat Lorinus, (*a*) quibusque favet Ecclesia usurpans hymnum illum de passione.

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine
Dicendo nationibus
Regnavit a ligno Deus.

14. Et quamquam Ribera arbitretur Septuaginta de suo id addidisse, quod inspirante Deo intelligerent id addi debere; præsto tamen sunt momenta in oppositum, quæ nimirum probant Judæos revera Hebræum Textum quoad hunc locum malitiose interpolasse. *Primò* quia si nuspiam illud *a ligno* fuisset in Hebræo Textu, & a Senioribus in sua Versione additum, haud Justinus potuisset hujusmodi detruncationis criminari Judæos, nec Tertullianus de eodem crimine Judæos objurgare. *Secundò*, isthæc verba quæ immediate subjiciuntur eodem in Psalmo, *tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini*, sunt clara allusio cum antithesi ad illud: *Dominus regnavit a ligno*. *Tertiò* ut observat Salmeron (*b*) Judæos mutasse in Hebræo *bbets* quod significat *lignum* in particulam *etb*, dicere voluit *apb*, quæ redditur per *etenim*. *Quartò* compertum est, Judæos infensissimos fuisse mysterii crucis, sicut hunc locum Scripturæ veteris esse hujus mysterii apertissimum vaticinium; hæc igitur satis, superque suadent, Judæos sua cæca ducti malitia, τὸ *a ligno*

O (si-

(a) *Comment. in versicul.* x. *Psal.* xcv. *Tom. II. p.* 1010. *per totam*.
(b) *Proleg.* iv. *p.* 33. *col.* 1.

(sicut & cætera, de quibus Justinus laudatus sermonem habet) abrasisse non modo ab aliquibus codicibus Septuaginta, sed potissimum ab omnibus exemplaribus Hebraici Textus. *Tandem* Trypho haud vulgaris peritiæ erat, sed Rabinus Archisynagogus Ephesi, ut notat Salmeron (*a*); modo, si Judæi in Textum Septuaginta & non in Hebræum manus impias iniecissent, Trypho haud dubie respondisset Justino: adeamus Hebræum Textum, ex quo versio Septuaginta assumpta est, & videamus utrum quod dicis veritate probetur: ut quid conquereris de suffuratione patrata in Septuaginta: omne quod ad convincendos Magistros nostros optas, præsto habes in nostro Textu, quem temerare non sunt ausi; hæc, inquam, Justino dubio procul Trypho reposuisset: cum igitur unice respondit, *quod in scripturis aliquid detraxerint, aut depravarint principes populi Deus scire potest*, argumento est, Justinum ob temerationem potissimum Hebraici Textus Rabinos exprobasse. Legesis Lorinum cit. Sicque ex Justini testimonio haud obscure colligitur, Hebræum Textum ex tunc Judæorum malitia conspurcatum fuisse, quibusdam quoque in locis, quæ mysteria Christianæ fidei concernunt, & in omnibus quidem codicibus; alioquin Trypho codicem incorruptum protulisset, sicut nec Justinus potuisset ob unum, vel alterum Hebræum codicem vitiatum, tantam instituere criminationem.

IRENÆUS.

15. Differens (*b*) de Judæis: *Non solum autem per prævaricationem frustrati sunt legem Dei miscentes vinum aqua; sed & suam legem e contrario statuerunt quæ usque ad Pharisaica vocatur. In qua quædam quidem auferunt, quædam vero addunt, quædam autem quemadmodum*

(a) *Proleg.* IV. *p.* 33. *col.* 1.
(b) *Lib. IV. adverf. hæres. Cap.* XXV. *p.* 342. C.

dum volunt, interpretantur. Quare diligenter perscrutanti hunc locum perspecta fiet alia adversariorum gerra: nimirum, Irenæum loqui de Phariseis, qui non quidem legem scriptam corruperunt, sed opposuerunt legem suarum traditionum contrariam legi scriptæ: verùm enim verò ex præfato Textu quisque deprehendit, Irenæum eò loci increpare morem Judæorum non tantùm quia statuerunt legem contrariam legi scriptæ, sed pariter quia legem scriptam pro suo arbitrio corruperunt, ne scilicet ipsis contraria videretur. Excutitur pariter alter lapillus quo dicitur, veteres Patres non ob corruptionem Scripturarum arguere Judæos, sed ob distortas interpretationes quas sacro Textui assuebant; quoniam utrumque Judæos perpetrasse conceptis verbis Irenæus testatur, tam scilicet quod interpolationibus & additionibus Hebræum deflorarint, quàm quod non abhorruerint a Scripturarum sensis oblique detorquendis, *quædam quidem auferunt, quædam verò addunt, quædam autem quemadmodum volunt, interpretantur*.

TERTULLIANUS.

16. Carpens eos qui respuebant librum Enoch, ut qui non admittebatur in armarium Judaicum, sive in canone Judæorum, (qui ut notat Jacobus Pamelius (*a*) Beato Augustino teste servabatur in Templo Hebræi populi.) *Omnem*, inquit (*b*) *Scripturam ædificationi habilem Divinitus inspirari, a Judæis postea jam videri propterea rejectam, sicut & cetera fere quæ Christum sonant;* non inficior eò tendere isthæc verba, quod nimirum a Judæis repudiabatur liber Enoch, sicut & nonnulli alii libri sacri qui nec Hebraice scripti erant, nec editi a viris dono prophetiæ præditis; tamen quàm apertissime probant Judæos Tertulliani temporibus indiscriminatim non reci-

(a) *In Annotat. Tertull.* (b) *Lib. de habitu mulieb. Cap. III. Tom. II. p. 258. E.*

pere ea Scripturæ oracula, quæ spectabant ad Christi fidem, & religionem, quamquam essent partes librorum, qui in eorum canone continentur, & idcircò ille subdit, *sicut & cætera fere quæ Christum sonant. Nec utique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi.* Quod tandem eo sensu Tertullianus affirmarit, Judæos, Scripturas quæ Christum sonant non recepisse inquantum non solum eas perperam interpretabantur, sed etiam revera corruperant, manifeste evincitur tam ex ocularibus corruptelis, quàm ex clarioribus sententiis aliorum veterum, cum quibus prudenter existimandum est, Tertullianum concordare.

ORIGENES.

17. *Quoniam*, inquit (*a*) *difficile est aliquem se malum confiteri, ideo Judæi qui nonnulla exemplaria falsarunt, etiam hoc in loco &c.* Præterea (*b*) de eisdem Judæis habet: *Post Christi adventum quibus curæ erat modis omnibus hanc de ipso opinionem tollere e populo; Quod jamdudum a Prophetis prædictum esset de ejus nativitate, illam doctrinam sustulerunt e medio.* Ut autem innotescat Origenem hisce verbis indigitasse non versionem Septuaginta, sed unice Hebræum Textum fuisse a Judæis malitiose corruptum, audiamus quid eadem de re scribat in epistola ad Africanum: *Scias ergo* (*c*) *non solum de iis quæ in nostro quidem Græco sermone feruntur in omni Ecclesia Christi non habentur tutem apud Hebræos: neque de aliis duabus, ut dicebas partibus, quæ sunt in fine libri scriptæ de Bele & Dragone: sed etiam de mille aliis:* Testatur quoque apud Hebræos non haberi neque Mardo-

(a) *Homil.* XII. *in Jerem. Tom. I. p.* 385. *F.*
(b) *Lib. I. contra Celsum Tom. II. p.* 425. *C.*
(c) *Tom. II. post Philocalia p.* 58. *L.*

dóchæi, neque Esther preces. Neque in libro Job alia mille quæ in exemplaribus Septuaginta, & Latinis habentur. *Rursus*, pergit, *autem per totum medium libri Job plurima quidem sunt apud Hebræos, nequaquam autem apud nos; & sæpe quidem quatuor aut tres versus, nonnumquam autem quatuordecim, & novendecim, & sedecim... Multa hujusmodi animadvertimus in Jeremiam, in quo etiam magnam invenimus transpositionem, & mutationem eorum quæ prædicuntur. Porro autem in Genesi quoque illud*: vidit Deus quod esset bonum & factum esset firmamentum, *apud Hebræos non invenitur.*

18. Quibus testimoniis Origenis omnia penitus effugia Recentiorum occupantur. Namque, ut vides, Origenes agit de discrepantiâ, quæ suo jam tempore erat inter Textum Hebræum & Scripturas, quibus Christiani utebantur: *Hæc autem*, subdit (a) *dico, non quod verear aut dubitem scrutari quæ sunt apud Judæos Scripturas, sed omnes nostras cum illorum scripturis conferre, & videre quænam sint in eis differentiæ*. Item neminem latet ab Hebræo, quem hodie habemus, abesse multa quæ Origenes hic meminit; quare viri docti non abnuunt concedere, isthæc olim in Hebræis codicibus fuisse, & deinceps & ante Origenis ætatem expuncta malignitate Judæorum. Insuper præfatas corruptelas non exscribentium oscitantiæ, sed adjudicat malitiæ Judæorum ægre ferentium, ob idque corrumpentium testimonia quæ probant veritatem Incarnationis. Declarat tandem Origenes, non aliquos, sed omnes pene Hebræos codices corruptionem subiisse, tum quia omnes de allegatis historiis precum Esther & Mardochæi, Susannæ, Belæ, & Dragonis profunda tenent silentia; tum etiam haud rationabiliter Africanus, & Origenes de tot constuprationibus conquesti fuissent, si adfuisset Hebræus codex omnium corruptelarum

(a) *Loco cit. p. 69. C.*

rum expers, quoniam hic ſatis fuiſſet ad convincendos Judæos de patrato facinore in aliis codicibus.

AUGUSTINUS.

19. A nonnullis pro hac ſententia laudatur, ex quo [a] ſcribit: *Judæos verò dum nos invident, quod lex & Prophetæ ad nos interpretando tranſierint, mutaſſe quædam in codicibus ſuis, ut noſtris minueretur auctoritas:* Verùm, ut res ſe habet fatear, Auguſtinus hæc ex aliorum ſententia retulit quemadmodum ex Textu adcurate librato conſtat; & ſolum quoad id ſuffragatorem ipſum habemus, inquantum opinionem reliquit cuique ſeligendi, ſive noſtram, ſive oppoſitam ſententiam: *Hanc*, inquit loco cit., *opinionem* (quod Judæi ex invidia in Chriſtianos mutarint quædam in ſuis Codicibus) *accipiat quiſque ut putaverit*. Suffragatur pariter, quoniam [b] ſibi incredibile videtur Judæos ante adventum Domini corrupiſſe ſacros codices, quia nullam cauſam inveniebat: *Illi*, inquit, *anteriores cur hoc facere voluerint non invenio* ergo cum poſt adventum Domini Judæis curæ fuit delere teſtimonia quibus de Chriſtiana fide convincebantur, ſequitur &c.

20. Ne longius ſermonem protraham miſſa facio teſtimonia Clementis Alexandrini, (c) Athanaſii (d) Epiphanii [e] Chryſoſtomi [f] Nazianzeni [g] Quæ tamen præſto cuique exhibet Pater Dominicus Gravina. [h]

HIE-

(a) *Libro XV. de Civit. Dei Cap.* XI. *Tom. VII. col.* 390. *D.*

(b) *Epiſt.* LXXXIII. *alias* XIX. *ad Hieronym. Cap.* V. *Tom. II. col.* 203. *A.* (c) *Lib. III. Stromat.* (d) *Sermone ſuper illud Matth.* XII. quicumque dixerit verbum contra filium hominis. (e) *Secundo de hæreſi non longe a fine.* (f) *Homil.* V. *ſuper Caput* XXV. *Matth. Et in Caput* III. *Epiſt. ad Philipp.*, & *in Caput* II. *epiſt. ad Corinth. ſuper illa verba* oculus non vidit. (g) *Orat.* II. *de filio.* (h) *Lib. IV. Catholic. Præſcript. Controv.* IV. *p.* 262. & *ſeqq.*

HIERONYMUS TANDEM.

21. Epiſtola LXXXIX. ad Auguſtinum ſcripta circa finem anni 404. (*a*) *Ego enim*, inquit, *non tam vetera abolere conatus ſum, quæ linguæ meæ hominibus emendata de Græco in Latinum transtuli, quàm ea teſtimonia quæ a Judæis prætermiſſa ſunt vel corrupta proferre in medium: ut ſcirent noſtri, quid Hebraica veritas contineret*. Cui Auguſtinus (*b*) *De interpretatione tua jam mihi perſuaſiſti, qua utilitate ſcripturas volueris transferre de Hebræis, ut ea quæ a Judæis prætermiſſa, vel corrupta ſunt, proferres in medium*. Et quoniam adverſarii faciliter occurrent dicentes: Hieronymum loqui de corruptione verſionis Septuaginta, non autem Hebræi Textus, idcirco ut veritas affulgeat, ſequentes Hieronymiani Contextus rem ponent in apricum.

22. Hieronymus (*c*) expendens verba Apoſtoli (*d*) *Quicumque enim ex operibus legis ſunt ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus* deſumpta ex Deuter. (*e*) notat τὸ *omnis*, & *in omnibus* ſuo tempore reperiri tantum apud Septuaginta & in codicibus Samaritanorum, non autem in Hebraico, a quo Judæi malitioſe expunxerunt. *Apoſtolus*, inquit (*f*) *vir Hebraæ peritiæ, & in lege doctiſſimus numquam protuliſſet* omnis, & *in* omnibus *niſi in Hebræis voluminibus haberetur: quam ob cauſam Samaritanorum Hebræa volumina relegens, inveni* cal *quod interpretatur* omnis, *ſive* omnibus *ſcriptum eſſe, & cum ſeptuaginta Interpretibus concordare. Fruſtra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur eſſe ſub maledicto ſi non poſſent*

(a) *Cap.* VI. *Tom. II. p.* 636. *H.* (b) *Epiſtola* LXXXII. *alias* XIX. *ſcripta anno* 405. *Cap.* V. *Tom. II. col.* 202. *G.* (c) *Lib. II. Comment. in epiſt. ad Galat. Tom. VI. p.* 134. *F.* (d) *Cap.* III. *à verſu* 10.
(e) *Cap.* XXVII. *v.* 26. (f) *Tom. VI. p.* 134. *F.*

sent omnia complere quæ scripta sunt : cum antiquiores alterius quoque gentis litteræ id positum fuisse testentur. Hieronymus itaque quum Epistola ad Augustinum fatetur, se velle emendare quæ a Judæis corrupta erant, loquitur non de sola corruptione versionis septuaginta, sed quoque Hebræi Textus.

23. *Instabis* Hieronymus dubitanter tantùm tradit ly *omnes*, & *in omnibus* deleta fuisse a Judæis, non autem assertive; vel *secundò* loqui non de omnibus Hebraicis exemplaribus sed de aliquibus, necnon codicibus Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis; vel *tertiò* de corruptelis injectis in versione Septuaginta. *Primùm* sane, ut cuique perspectum est, satis refellitur iisdem Hieronymianis verbis: *Frustra igitur illud tulerunt Judæi* &c. quane majori expressione poterat Hieronymus ostendere certum judicium quod ferebat de corruptione Hebræi Textus Judæorum malitia interpolati? *Secundum* eidem plane scopulo occurrit, quoniam si Hieronymus affirmat non in Hebræis voluminibus sed in Samaritanis invenisse ly *omnis*, & in *omnibus* aperte connotat hasce particulas ab omnibus Hebræorum codicibus fuisse excisas: exceptio, ut omnes norunt, firmat regulam in contrarium. Cum verò additur eum loqui de codicibus Aquilæ &c. haud video qua lege id verificari possit, quia isti non scripserunt Hebraice, sed Græco sermone reddiderunt Hebræum, & contra testatur Hieronymus in Hebræis voluminibus non reperisse *omnis* & in *omnibus*. Causaris fortasse quia in Vulgata à S. Sede emendata ita revera legimus loco cit. Deuter., ut in Hebræo hodierno habetur, non verò sicut laudatur ab Apostolo Paulo, & ut existimavit Hieronymus legendum? ast ni fallor hoc profecto est cantare extra Chorum; namque quod in præsentia investigare nobis curæ est, utrum sit quoque de sententia Hieronymi, quod Textus Hebræus fuerit præfato loco Deuter. a Judæis malitiose contaminatus, quod sane

ſane partem affirmativam eviciſſe cenſeo ; quod verò in Vulgata correcta non ita habeatur ſicut Hieronymus in Commentariis tradit, late ſuſcipiemus diſcutiendum in decurſu ſecundæ Demonſtrationis.

24. Niſi brevitati ſtuderem, idem fere argumentum conficerem ex iis quæ Hieronymus habet ſuper aliud Apoſtoli (a) *Maledictus omnis qui pendet in ligno* acceptum ex Deuter. (b) ubi habetur, *maledictus a Deo eſt qui pendet in ligno*, & Hieronymus in eam ſententiam propendet, qua aſſeritur, ideo ab Apoſtolo omiſſum τὸ *a Deo*, & additum ly *omnis* quia ita legebatur in voluminibus Hebraicis, qui Apoſtolorum tempore circumferebantur, quoſque poſtea Judæi malitioſe depravarunt. *Ex quo*, inquit (c) *mihi videtur, aut veteres Hebræorum libros aliter habuiſſe, quam nunc habent : aut Apoſtolum, ut ante jam dixi, ſenſum ſcripturarum poſuiſſe, non verba : aut quod magis eſt æxtimandum poſt paſſionem Chriſti, & in Hebræis, & in noſtris codicibus ab aliquo Dei nomen appoſitum, ut infamiam nobis inureret ; qui in Chriſtum maledictum a Deo credimus.*

25. RICCARDUS hiſce Hieronymianis momentis preſſus devolvitur ad irreligionum ſtropham, quam ut referam, & refellam opus eſt ab inſtituto aliquantulum moveam pedem, ut ibi medelam exhibeam ubi paratum eſt virus. Simonius itaque (d) de ſententia Hieronymi ſicut & Origenis relate ad ſtatum Textus Hebraici, & verſionis Septuaginta differens : *ingentem*, ſcribit, *illam quæ in ſcriptis* (Hieronymi) *occurrit diſcrepantiam Ruffinus cum aliquot aliis exprobaverat. Is factum manifeſtum negare non audens dialectices imperitiam ſuis accuſatoribus obiicit, ignorare illos inter diſputandum aliter & aliter eſſe loquendum*. Quatuor, ut reor, confictis ſomniis quatuor pariter vitia egregio S. Viro Riccardus irreligioſe ad-

P

(a) *Loco cit. ad Galat. v.* 13. (b) *Cap.* XXI. *v.* 23. (c) *Loco cit. p.* 135. *C.* (d) *Lib. I. hiſtor. crit. veter. teſt. Cap.* XIX. *p.* 99.

adfingit : *primum* quod ingens difcrepantia (quod antea incoftantiam vocat) occurrat in Hieronymianis fcriptis ; *fecundum* quod ob hujufmodi vitium fuerit Hieronymus, fubaudi *meritò* a Ruffino cum aliquot aliis increpatus ; *tertium* quod non valens Hieronymus evidentem contradictionem, qua laborabat, denegare, confugerit ad dialectices regulam, qua cuique permittitur inter difputandum aliter & aliter loquendum. *Quartum* quod de mente Hieronymi extet hujufmodi regula, iftaque in fuis fcriptis fuerit ufus. Mira profecto fomniorum congeries, quæ nonnifi fructus effe poterat illius Riccardi tam proprio ingenio indulgentis, ut affirmet (*a*) neminem comperiffe, neque inter Judæos, neque Patres veteres, neque Chriftianos five Catholicos, five Proteftantes præjudiciis non irretitos, & qui ante ipfum criticam Scripturæ penitus noverit aut inveftigarit. Verùm quia manifefta difcrepantia quam in Hieronymianis fcriptis occurrere fupponit, eft feminarium cæterarum nocturnarum imaginum, hanc potiffimum atque curfim examinare, nobis curæ erit.

26. Duo exempla eo loci fuppeditat; *primum* quod Hieronymus interdum magna cum vehementia defendit Textum Hebraicum contra Septuaginta Interpretes illum vocando veritatem Hebraicam, & interdum libere teftatur Judæos depravaffe Scripturas. *Secundum* quod inter apocriphos reponit quandoque quofdam libros, quos Ecclefia tamquam canonicos receperat, ac Danielem inficiatur fuiffe prophetam. Circa *primum* ultro libenterque agnofco Hieronymum tutatum fuiffe Textum Hebraicum, fed non indifcriminatim & univerfaliter, bene verò iis in locis ubi collatis multis adinvicem exemplaribus & verfionibus, deprehendit majori finceritate gaudere ; ficut e contra aliis in locis ob contrariam rationem fecutus eft Septuaginta neglecto Hebræo Textu (*b*). Neque

(a) *Præfat. in cit. operam hiftor. crit. Veter. Teftam. p. 7. prope finem.*
(b) *V. N. 126. & feqq.*

que defendit Textum Hebræum contra auctoritatem Septuaginta Interpretum, (a) ut cum aliis Hieronymi obtrectatoribus Riccardus suadere contendit, sed unice contra nonnulla loca illius versionis Septuaginta pariter malitia Judæorum corrupta, ut dicemus suo loco (b). Utique interdum Hieronymus Hebræum Textum vocat Hebraicam veritatem, sed eo sensu quem explicabimus infra (c). Sicque vides nullam in primo exemplo veram discrepantiam reperiri, & utrumque ex propria sententia Hieronymum docuisse. Circa secundum, miror, quomodo Riccardus probare contendat inconstantiam Hieronymi in quo, & ipse bene agnoscit unum ex propria, aliud ex aliorum sententia Sanctum Doctorem dixisse. Riccardus profecto rotundo ore eo loci fatetur, Hieronymum non ex propria sententia reposuisse inter apocriphos, quosdam canonicos libros, sicut & Danielem non esse prophetam, sed quid sentirent Judæi explicasse: cur ergo pro argumento evidentis discrepantiæ hunc locum assumit? si propter hanc scribendi methodum Hieronymus vocabitur in contradictionis culpam, plane & a referendis in scriptis nostris sententiis aliorum prorsus abstinendum erit; quod nemo vel tantillum rationis habens æquo animo auscultabit.

27. *Instabis* ergo pariter non ex sententia propria Hieronymus protulit Hebræum esse a Judæis vitiatum. At quod Hieronymus non ex propria sententia interdum dixerit, dicam melius, retulerit quosdam libros non esse canonicos, sicut & Danielem non esse prophetam disertissimis verbis aperuit. *De Daniele autem*, inquit, (d) *breviter respondebo me non negasse se eum prophetam, quem statim in fronte Prologi prophetam esse confessus sum; sed quid Hebræi dicerent & quibus argumentis suam niterentur probare sententiam, monstrare*. Et paulo infra. *Quod*

 autem

(a) *V. N.* 200. (b) *V. N.* 121. *& seqq.* (c) *N.* 102.
(d) *Lib. II. Apolog. in Ruffinum Cap.* IX. *Tom. II. pag.* 519. *C.*

autem refero quid adversum Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum & Belis, Draconis fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere: qui me criminantur stultum, se sycophantam probat, non enim, quid ipse sentirem, sed quid illi contrà nos dicere soleant, explicavi: quid clarius? at quod Hieronymus non ex propria sententia accusarit Hebræum Textum uti falsatum nec Riccardus locum aliquem profert, nec uspiam proferre poterat; ut potius super laudata Hieronymiana testimonia oppositum clarè spirent. Dicamus oportet irreligiosam esse, & quoad omnes suas partes aperte falsam descriptam Riccardi propositionem; quoniam si in Hieronymi operibus nulla in re occurrit discrepantia, sane, & Ruffinus cum aliis obtrectatoribus irrationabiliter de vitio inconstantiæ criminatus est Hieronymum, & est somniatum commentum tum quod factum Hieronymianæ discrepantiæ fuerit manifestum, tum quod Hieronymus inficiari non fuerit ausus, tum quod objectaverit fictam Dialectices regulam, & tandem quod ista usus fuerit. Deficiente fundamento totum, opus est, ædificium prolabatur ad ima.

28. *Replicabis*. Riccardus suam sententiam probat calculo ejusdem Hieronymi, qui in Apologia adversus Ruffinum se defendit exemplo aliorum maximè Origenis: *quia interdum, pergit Riccardus, coguntur loqui non quod sentiunt, sed quod necesse est dicunt; & in suis præfationibus meminit etiam Apostoli Pauli*: legite epistolas ejus ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est, & videbis eum in testimoniis quæ habet de veteri Testamento, quam prudens, quam dissimulator ejus, quod agit. = Hæc ex Hieronymo Riccardus describit. Quocirca tametsi studio bibendæ veritatis in fonte, & non in eo rivulo, puta citato opere Riccardi (qui non tantum lucem adspexit, atque fuit)(a)

(æter

(a) *Eruitur ex præfatione ad lectorem præfixa citato codici historiæ criticæ pag.* 1.

(æternis tenebris damnatus) tres libros Apologiæ Hieronymi in Ruffinum pro meo modulo lustratim, haud datæ sententiæ, quam Riccardus describit, mihi datum fuit invenire vestigium, quin potius S. Doctor oppositum videatur graviter inculcare; quippe qui (*a*) sedulo animadvertit, inconstantiam non esse fide dignam, sui ipsius haud oblitum fuisse, nec defendere quod ante damnaverat. Et alibi (*b*) *ponam*, inquit, *& aliud testimonium: ne nunc rerum necessitate compulsum dicas* (me) *mutasse sententiam*. Id ipsum repono ad aliud æque incertum testimonium, quod Hieronymo Riccardus adjudicat. Cæterum si me non fallit opinio, Criticus iste videtur sub decipula regulæ dialectices tueri obsequiosum silentium Jansenistarum, quod jam Romana Sedes nigro telo pluries damnavit. Verùm enim verò si alicui, dum cogitur loqui, permissum erit juxta placitum Riccardi dicere, non quod interius sentit sed quod necesse est; ergo dum Ecclesia cogit aliquem ad loquendum super propositionibus Jansenii, huic plane permissum erit eas exterius fateri esse hæreticas, & insuper juramento dictum firmare, licet interius aliter sentiat; quo quid perniciosious nemo non videt; tacite pariter suffragatur Riccardus maleferiato Melanchthoni asserenti, fidei articulos pro temporum opportunitate mutandos esse, atque ad occasionem accomodandos. (*c*) Itaque sub conficta dialectices regula anguis latet. Satis in Riccardum.

§. III.

(a) *Lib. I. Apolog. Cap.* III. *Tom.* VIII. *p.* 495. *A.*
(b) *Lib. II. Cap.* VIII. *p.* 517. *D.*
(c) *V. N.* 163.

§. III.

Recitantur Theologorum haud infimi subsellii perspicuæ sententiæ. Et primo eorum qui floruerunt ante Concilium Tridentinum.

29. Lyranus (*a*) expendens illud v. 12. *sed & væ eis cùm recessero ab eis*, in qua propheta loquens in persona Dei denunciat futuram destructionem populi Judaici per Romanos. *Circa quod*, inquit, *sciendum quod iste est unus de passibus scripturæ veteris Testamenti corruptis a Judæis, secundum quod dicit Frater Raymundus in Hebraica Lingua valde peritus.*

30. Paulus ex Judæo Christianus, deinde Burgensis Episcopus (*b*) *Hebræi tantùm timuerunt concludi ex isto passu, scilicet cum dicitur* foderunt manus meas & pedes meos, *quod nulli alteri de contentis in sacra Scriptura, nisi Christo in cruce manibus, & pedibus perforato applicari possit, quod eorum perversitas litteram antiquam, corrupit.*

31. Porchetus de Sylvaticis Genuensis Carthusianus (*c*) *Nota quod prædicti Sanhedrin sæpius scribæ vocabantur eo quod id quod tradebant, & scribebant habebatur ab aliis tamquam lex. Tantæ enim fuerunt Judæi præsumptionis, quod multa diminuerunt de divina pagina, & multa in eadem addiderunt, ac mutaverunt.*

32. Quibus Morinus (*d*) adiicit: *In eadem prorsus sententia est Petrus Galatinus Franciscanus Monachus cujus eruditio Hebraica ab omnibus meritò laudatur, cuique omnia fere, quæ cæteri auctores de Rabinis, & Talmude*

(a) *In Caput* IX. *Oseæ Tom.* IV. *p.* 344. C.
(b) *In Additionibus ad Psal.* XXI. *apud Joan. Morin. in Exercit. Biblic. Lib. I. exer. I. Cap.* II. *p.* 15.
(c) *In Victoria adver. Judæos part.* I. *Cap.* II. *penes Morinum cit.*
(d) *Ibidem p.* 16.

de citant in fidei Christianæ defensionem accepta referri debent.

33. Augustinus Justinianus Nebiensis (*a*): *Loca enim omnia quæ Hebræi corruperunt studiosos bujus Linguæ non latent, & ipse in nostris scholiis diffuse de illis disserui, inter quæ hic locus*: foderunt quasi leo &c.

34. Jacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus (*b*) *Videntes Rabini Judæorum omnes Gentiles cum tanta devotione ad fidem Christi converti per totum Orbem & Ecclesiam tanto favore prosperari, & etiam quod infinita multitudo Judæorum videntes manifestam veritatem per experientiam, & miracula pariter convertebantur, & sic deficiebant quæstus, & redditus, & tributa Rabinorum. Hac igitur iniquitate commoti magna multitudo Rabinorum congregata fuit apud Babyloniam Ægypti, quæ dicitur Cayræ, ubi quanto magis caute potuerunt conati sunt falsificare & pervetere Scripturas a vero sensu & significatione.*

35 Dominicus Garsias Hebraicæ Linguæ Complutensis professor (*c*) hæc habet verba: *Judæos Scripturam sacram cum novis expositionibus, Commentariis fictitiis, multiplici dictionum interruptione, varia punctorum, & litterarum mutatione, multitudine librorum Talmudicorum sic fœdasse adulterasse, & corrupisse, ut jam vix aliquod signum illius pristini splendoris, & incorruptæ veritatis in ea appareat.*

36. Augustinus Steuchus Sedis Apostolicæ bibliothecarius (*d*) *Existimo hunc locum corrupisse Judæos ut pleraque alia ab eis esse depravata comperimus, ubi commode posset fieri, ut sæpius admonituri sumus* &c. Et alibi (*e*) *Scripturas Hebraicas multis in locis immutatas esse.*

37. No-

(a) *In Notatiunculis ad Psalterium Pentaglotton Psal.* XXI. *penes eundem Morinum.*

(b) *Prologo in Psalterium Tract.* VI. *p.* 63. *B.*

(c) *In Proæmio libri inscripti* propugnacula Religionis Christianæ contra perfidiam Judæorum.

(d) *In Recognit. Vet. Testam. ad veritatem Hebraicam super verba* qui mittendus est. *Tom.* I. *p.* 127. *B.*

(e) *In Caput* III. *Genes. v.* 17. *p.* 98. *F.*

37. Noster inclytus Franciscus Ximenes (*a*) *mediam*, inquit, *autem inter has lectiones Hebraicam scilicet & Græcam Septuaginta, Latinam B. Hieronymi translationem velut inter Synagogam, & Orientalem Ecclesiam posuimus tamquam duos, hinc & inde latrones: medium autem Jesum hoc est Romanam Ecclesiam collocantes; hæc enim sola supra firmam petram ædificata, reliquis a recta Scripturæ intelligentia deviantibus immobilis semper in veritate permansit.*

Adferuntur Judicia Theologorum qui tempore Concilii vel post scripserunt.

38. Melchiorcanus (*b*) *Hebræorum Doctores nostri videlicet inimici multo studio contenderunt Textum Hebraicum corrumpere, ut vetus Testamentum nostris exemplaribus facerent esse contrarium* (*c*). *Non igitur ad Hebraica, & Græca exemplaria, ut quæ depravata sint recurrendum* Et (*d*): *Non enim sunt Hebræorum aut Græcorum codices modo emendatiores quàm Latini, imo plerumque aliter habent quàm ratio ipsa & veritas postulant.*

39. Sixtus Senensis (*e*): *Interdum quoque contingere potest ut aliqua in codicibus Hebraicis vel malitia, vel negligentia, vel imperitia Scriptorum prætermissa sint.* Quod probat testimonio Hieronymi superiùs allegato.

40. Salmeron (*f*): *Præmittendum Judæos post aliquot annos ab assumpto in Cœlum Christo, ut nobis adversarentur, primum 70. Interpretum editionem in multis locis vitiasse . . . . Quod verò etiam neque sacris Hebræis fontibus pepercerint ... multis modis demonstrari potest. Principiò,*

quia

(a) *Præfat. in Poliglot. penes Riccardum Simonium in Catal. Edit. Biblic. in hist. Vet. Testam. p.* 128.

(b) *Lib. II. de Loc. Theol. Cap.* XIII. *p.* 55. *col.* 2.

(c) *Pag.* 56. *col.* 1. (d) *Et pag.* 58. *col.* 2.

(e) *Lib. VIII. bibliot. Sanct. hæresi* XIII. *p.* 1113.

(f) *Proleg. IV. p.* 28 *col.* 2.

quia si integra &c. (*a*) Et infra (*b*) *Ex his* (puta momentis tum Scripturæ, tum Patrum, tum rationum petitis) *satis me arbitror demonstrasse, quam sit varia, dubia, & incerta Hebræa lectio, ut nihil pene sit illi fidendum nisi rectum & certum judicium adhibeamus.*

41. Marianus Victorius (*c*) mentione facta de constupratione quam fecerunt Judæi in illud Psal. xcv. *Quia Dominus regnavit a ligno*, & in illud *Sicut Leo foderunt* &c. scribit: *Sunt & alia infinita, quæ tum temporis injuria, tum Judæorum incuria, & malignitate falsata sunt.*

42. Leo Castrius (*d*): *Quam pluribus momentis acriter contendit vitiatam esse scripturam Hebraicam.... non tam mutatione punctorum, aut errore Amanuensium; sed quod Judæi pravo affectu eam lectionem interdum magis probaverint, quæ minus Christianis favebat.*

Gregorius de Valentia (*e*) *Græci, & Hebraici Codices sicubi a nostra editione dissideant, per nostram corrigendi & emendandi sunt. Nam hanc Ecclesia peculiari definitione per omnia probavit, non illos, quamquam nec illos rejecit, nisi ubi huic nostræ editioni forte contradicerent. Neque verò potiori jure possunt illi codices jam fontes appellari, quàm editio hæc nostra. Primò quia nec illi originales ipsi libri sunt, sed variorum typographorum opera excusi. Deinde quoniam magna est etiam horum voluminum varietas.... Tertiò quoniam & Rabinorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ hostium fraude sæpe potuerunt depravari.*

44. Joannes Baptista Villalpandus (*f*) testatur in illud Danielis IX. v. 24. *Et ungatur Sanctus Sanctorum* varias

Q lectio-

(a) *V. N.* 74. (b) *Pag.* 39. *col.* 2.
(c) *In Scholiis Epist.* CXLV. *Hieron. ad Damasum Tom. III. Operum Hieron. pag.* 786. *D.*
(d) *Lib. II. sui Apolog. teste Possevino Lib. II. bibliot.* Cap. VI. *pag.* 166. *D.*
(e) *Lib.* VIII. *Analysis Fidei Cathol. Cap.* V. *penes Morinum cit. p.* 25.
(f) *In Ezechiel. par.* 1. *Lib. III. Cap.* XXXII. *Tom.* 3. *p.* 233. *col.* 2. *A.*

lectiones irrepsisse Hebræorum malitia, *ne hujus*, inquit, *loci clarissimo testimonio adventum Christi fateri cogantur*.

45. Bellarminus (*a*) *Hæretici hujus temporis odio editionis Vulgatæ, nimium tribuunt editioni Hebraicæ* (*b*). *Nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere jam ante ostendimus*, nempe Cap.II. nuper cit. ubi suppeditat tres insignes corruptelas quæ profecto cedunt in detrimentum Christianæ Religionis, quasque malitia Judæorum Hebraico Textui injecit. Et (*c*) *videntur autem septuaginta Interpretes paulo aliter legisse Textum Hebræum, quàm modo se habeat*.

46. Nicolaus Serarius (*d*) *Hebræus igitur contextus, qui in hodiernis exemplaribus communiter cernitur si mathematice vel physice consideretur, simpliciter corruptus dicendus est*. Idque depromit subdens: *patet quia & ex humana vel oscitantiæ vel imperitiæ alicujus infirmitate menda ei nonnulla insunt; & e Judæorum nequitia corruptelæ aliquot, uti ostensum*.

47. Joannes Morinus (*e*) *Nemo alicujus nominis est, imo ante Concilium Tridentinum mihi cognitus est, qui ab omni corruptela Textum Hebraicum vindicaverit licet quidam* (subaudiens Novatores) *sed paucissimi ante Concilium Tridentinum Versioni S. Hieronymi iniquiores fuerint* Heinc pergit summis curis ad probandum Hebræum Textum hodiernum corruptelis scatere.

48. Joannes Mariana (*f*). *Neque mirum videri debet existimare nos a Judæis Hebraicos codices fuisse corruptos, quando tanto odio flagrabant Christiani nominis ut Justino teste post occisum Christum, certos homines miserint qui toto Orbe Christianam Religionem opprimerent*.

49. Fran-

(*a*) *Lib. II. de Verbo Dei Cap. II. col. 69. D.*
(*b*) *Cap. XI. col. 96. B.*
(*c*) *Cap. XIII. col. 103. C.*
(*d*) *Proleg. biblic. Cap. XII. quæst. II. proposit. 7. p. 75. col. 2.*
(*e*) *Exercit. biblic. Lib. I. Exercit. I. Cap. II. p. 13.*
(*f*) *In Tract. pro edit. Vulgata apud Morinum cit. p. 26.*

49. Franciscus de Mendoca (*a*) *Ita plane Judæi multa scripturæ loca, quibus convicti tenebantur, eradere, intervertere, depravare, & adulterare ausi sunt*.

50. Joannes Lorinus (*b*) differens de particula illa *a ligno* quam Justinus Triphonem alloquens ait fuisse à Judæis ab Hebræo suffuratam. *Propendeo*, inquit, *magis in sententiam, quæ Judæis adscribit malitiosam mutationem in Hebræo Textu*. Et (*c*) relato officio & studio, quo Judæi tempore Christi prosequebantur divinas litteras: *Ex his*, inquit, *colligere licet, non fuisse tunc adhuc a Judæis corruptas scripturas .... quin id postea fecerint odio Christianorum, negari vix potest, tot id PP. affirmantibus*.

51. Sforza Pallavicinus (*d*) *Dov'è*, inquit, *questo originale incorrotto? lo saprebbe per avventura il Soave, se in tanti secoli non l'ha saputo la Chiesa?*

52. Noster Claudius Frassen (*e*) *Fateor fontes scripturarum Hebræum scilicet Textum, & Græcum anteponendos esse rivulis versionum, quando puritate sua, & integritate constant. Certum est autem ... utrumque textum primitivum Hebræum, & Græcum in plurimis esse mutilum, & feculentos fluere*. Et alibi (*f*): *Textus originarios Judæorum vafritie plurimis in locis interpolatos, ac depravatos fuisse compertum fiet ex sequenti paragrapho*; ubi testimoniis PP. & ocularibus exemplis ex inspectione hodierni Hebræi luculenter probat: necnon nonnullas Vulgatæ lectiones propter discrepantiam ab hodiernis fontibus ab Hæreticis taxatas, acriter ut sinceras tuetur.

54. Natalis ab Alexandro (*g*) hanc assertionem erigit;

 Dico

(a) *In lib. I. Reg. Cap. II. n. 36. Tom. III. p. 569. B.*
(b) *In Psal. In versiculum* x. *Psal.* XLV. *Tom. II. p.* 1010. *col.* 1. *E.*
(c) *In Caput I. secundæ Petri super illa verba versiculi* 19. Cui benefacitis &c. *Tom. X. p.* 367. *col.* 1. *C.*
(d) *In hist. Concil. Trid. Lib. VI. Cap.* XVII. *n.* 14. *p.* 657.
(e) *Disquis. bibl. Lib. II. Cap.* VI. *n.* 18. *p.* 314.
(f) *Pag.* 321.
(g) *Sec. II. hist. Ecclesiast. dissert.* XI. *q.* 1. *ar.* 1. *Tom.* VI. *p.* 367.

Dico tertio multiplicem illam, & immanem varietatem inter translationem Septuaginta Interpretum, & Textum Hebraicum, vel ex Judæorum orta esse malitia qui Textum primitivum corruperunt, vel ex incuria, & oscitantia Scribarum, qui Versionem Septuaginta Interpretum descripserunt. Et quidem sacros Codices a Judæis fuisse depravatos omnes ferme antiqui Patres testantur. Hinc non omittit laudare prædicta testimonia Justini, Tertulliani, Origenis, & Chrysostomi. Et alibi (*a*) concedit septem capita Esther quæ in Hebræo non habentur ante Hieronymi ætatem ab Hebraico Textu excidisse; sicut & duo postrema capita Danielis Judæorum malignitate ab Hebræo expuncta. Tandem (*b*) habet; *Responderi potest cum Morino .... depravatum esse modo Textum Hebræum.* Quod si dices Alexandrum alibi (*c*) acerrime tuetur originarios Textus immunes esse ab omni præcogitata corruptione, hoc sane, ut ipse vides, in sui inconstantiam redundare debet, & nobis inferendi saltem argumento est, Patrem Natalem haud firmiter, & secure oppositæ sententiæ adhæsisse: quod & dicta velim quibusdam aliis auctoribus, qui cum gravi lectorum fastidio parique inconstantia hac in provincia se se gerunt, quasi veritas valeat in utroque oppositorum inesse.

55. Juvenin (*a*) probat hodiernum veteris Testamenti Textum non esse purum, *primò* quia *nonnunquam integræ sententiæ desunt in Hebraico Textu*: *secundò* probat recensendo vitium quod habetur Isaiæ IX. ubi Hebraicus legit: *vocabit admirabilis* cum legendum sit *vocabitur*.

56. Ne sim prolixior, prætermitto laudare multò plures eximios Theologos, qui vel obiter vel ex professò ejusdem sunt labii; hinc operæ pretium duco absolvere paragraphum istum verbis recentissimi Theologi Antonii Casi-

(a) *Pag.* 375. (b) *Pag.* 379.
(c) *Dissert. XXXIX. Sec.* IV. *Tom. IX. p.* 206. *& seqq.*
(c) *Dissert. IV. de Loc. Theol. Cap.* VI. *art. II. Tom.* I. *p.* 82.

Casini, qui anno 1742. in Romano Collegio Societatis Jesu honore primæ cathedræ fungebatur. *Cùm*, inquit (a) *in Hebraicis codicibus tam multa legantur hodie, quæ aliter verti debuerint; constet autem ex decreto Concilii Tridentini nullum esse in editione Vulgata vitium Interpretis; sed versa esse omnia iis maxime in locis uti verti debuerant; sequitur ut codices Hebraici veteres, quibus est usus vulgatus Interpres, iis in locis diversi sint a præsentibus; ac proinde hi præsentes multis partibus sint depravati.*

§. IV.

Accedunt Hæreticorum quoque haud obscura testimonia turbidi fluxus hodierni Hebræi.

Hæreticorum quoque plerique (Deo permittente, quippe qui minime sinens veritatem expugnari, eosdem interdum impugnatores veritatis in testes ejusdem assumit) in eandem quoque nostram visi sunt descendere sententiam.

57. Calvinus, ut probè observant Bellarminus (b) & Eminentissimus Gotti (c) affirmat apud Isaiam (d) pravo animo Hebræorum fuisse vitiatam lectionem; quoniam Hebræus habet *vocabunt eum* cum legendum sit *&* *vocabitur*; legunt enim Judæi *vocabit eum Deus fortis* referendo verba ad Deum Patrem *: quod enim*, inquit Calvinus (e) *ad Deum referunt Judæi, & legunt uno contextu*, vocabit nomen ejus admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater æternus, princeps pacis *facile apparet, studio, vel potius libidine obscurandi Christi gloriæ id fieri, nisi enim nimis cupide eum sua Deitate spoliare contenderent*, opti-

(a) *In Encycloped. Prol.* 1. *Disp. III. p.* 29. *col.* 2.
(b) *Lib. II. de Verbo Dei Cap. II. col.* 69. *E.*
(c) *De Verit. Relig. Cap.* VIII. *N.* XXVI. *Tom. II. p.* 170.
(d) *Cap.* IX. *v.* 6.
(e) *Comment. in dictum caput.*

optime flueret contextus , *sicut nostri reddunt* . Et (*a*) *oblatrant hic quoque Judæi* , *& sic lectionem invertunt* : hoc est nomen quod vocabit eum Deus fortis. Pater futuri &c., *ut hoc dumtaxat filio reliquum faciant* , *principem vocari pacis &c.* Ita quoque Jeremiæ (*b*) ubi in Vulgata habetur, *& vocabunt eum Dominus justus noster*, Calvinus observat Hebræum legere *& vocabit eum Jehovah justitia nostra* faciendo sensum , Jehovah qui est justitia nostra vocaturum esse Messiam , non verò Messiam esse Jehovah justitiam nostram . Item (*c*) ubi nos legimus *foderunt manus meas*, Hebræus, Calvino quoque teste, habet *sicut leo manus meas* , atque ita coniicit istum pariter locum a Judæis fuisse depravatum dicens : *in eos verò* (Judæos) *cadit non levis falsitatis suspicio*, *quibus unicum studium est Jesum Christum spoliare suis insignibus ne Christus & Redemptor appareat.* Calvinus itaque tametsi studio detrahendi authentiæ Vulgatæ , alibi acriter tueatur puritatem hodierni Hebræi , convictus tamen de apertissimis vitiis quæ inficiari non fuit ausus jam ultro , libenterque fassus est talia, ut suo quoque testimonio probetur, in hodierno Hebræo irrepas , Judæorum malitia quasdam insignes corruptelas , quæ concernunt Jesu Christi divinitatem, & mysterium nostræ redemptionis .

58. Munsterus in eundem locum Isaiæ ejusdem est opinionis: *Versipelles*, inquit (*d*) *Judæi hunc textum sic corrumpunt & legunt*: & vocavit nomen ejus qui est admirabilis consiliarius , Deus fortis , & Pater æternitatis , principem pacis. Et (*e*) ubi Vulgata exhibet quod *vocabunt eum*, *Dominus justus* : *Convincit*, inquit (*f*) *locus iste Judæos negantes Meschiæ divinitatem* , *quantum libet ipsi conentur eum* (locum) *in hunc modum corrumpere* : in

(a) *Lib. I. Institut. Cap.* XIII. §. IX.
(b) XXIII. *v. 6.* (c) *Psal.* XXI. *v.* 18.
(d) *Comment. in Isaiam apud Crit. sac. Tom. II. part. II. col.* 2342.
(e) *In Caput* XXIII. *Jeremiæ v. 6.*
(f) *Apud eosdem Criticos Tom. III. part.* I. *col.* 119.

in diebus ejus erit justitia Domini nobis stabilis & perpetua.

59. Waltonus (*a*) *Libri Hebræi tam manuscripti quam impressi erroribus obnoxii fuerunt, & sunt, ac proinde corrigendi, & emendandi ex aliorum collatione*. Item (*b*) *dari lectiones variantes non tantum in Scripturæ versionibus præsertim antiquis, sed etiam in ipso Textu Hebraico veteris, & Græco N.T. a nemine negari potest, cum hoc testentur tot varietates ex codicibus M. S., & impressis a viris doctis annotatæ*; idest Usserio, Buxtorfio, Bochardo, Heinsio, Grotio, Sixtino Amama, Lodovico de Dieu, quos paulo infra citat; porro hujusmodi Hæretici haud valent pro nobis melius concinere; quoniam ubi varia est lectio, *pars altera*, Waltono teste (*c*) *necessariò erronea est*. Item (*d*) differens de illo Psalmorum *foderunt manus meas* habet: *banc unicam esse probabilem mendam in Textu Hebraico agnoscunt Sixtinus Amama, Junius, Witbakerus & alii. Hoc verò ipsos* (Judæos) *fecisse ex odio in Christum & contra propriam conscientiam apparet ex Commentariis R. Salom. ab Eszra R. David & aliorum*. Tandem (*e*) concedit Masorethas plerosque Rabinos maculasse Scripturas; necnon (*f*) affirmat omnia exemplaria inter Christianos retinere punctationem Masoretharum; ergo in sententia quoque Waltoni exemplaria hodierna omnia sunt maculis Masoretharum referta.

60. Riccardus Simonius, de cujus communione cum Romana Ecclesia non satis constat (*g*) *Fateor*, inquit, *hodiernum Hebræum vitiis magnis abundare*. Non desunt & aliorum Novatorum momenta eodem spectantia; at pro suscepto instituto sat sunt exarata.

§. V.

(a) *Proleg.* VII. §. 12. *p.* 282. *col.* 1.
(b) *Proleg.* VI. §. 1. *p.* 270. *col.* 1. (c) *Proleg.* VII. §. 17. *p.* 285. *col.* 1. (d) *Proleg.* VII. §. 7. *p.* 279. *col.* 1. (e) *Loco cit.* §. 8. *p.* 280. *col.* 1.
(f) §. 9. *p.* 280. *col.* 2. (g) *In hist. critic. Vet. Test. Lib. III. Cap.* 1. *p.* 2.

§. V.

Protenduntur cardines a ratione petiti.

PRIMUS CARDO.

61. Oculari facto constat in hodierno Hebræo non reperiri hæc verba: (*a*) *alterum peperit quem vocavit Eliezer dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis* Item: (*b*) *sepulchrum patens est guttur eorum. Linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos eorum.* Item (*c*) *psallam nomini Domini altissimi.* Item (*d*) *Non est usque ad unum.* Et (*e*) *Iniusti punientur: & semen impiorum peribit:* ecquis poterit minutatim percensere omnes interpolationes, vel additiones, quæ in solo Psalterio, omnibusque exemplaribus Hebraicis occurrunt?

62. Item (*f*) desunt decem versiculi incipiendo a quarto ad usque postremum. In Cap. XIII. undecim postremi versiculi, sicut quoque integrum caput XIV. XV. & XVI. Item in libro Danielis Cap. III. haud reperiuntur 68. versus in quibus continetur hymnus trium puerorum, sicut & integrum caput XIII. & XIV. ubi percensetur historia Susannæ, Beli, & Draconis.

63. Hisce constuprationibus, de quibus ambigere esset in medio lucis oculos claudere, contentus sum, missa faciendo tot alia sphalmata quæ proferunt, teste Frasseno (*g*) Jacobus Gordonus Hundlæus, Bonfrerius, Leo Ca-

(a) *Exodi* II. *post versic.* 22. (b) *Lib. Psal. Psal.* XIII. 3.
(c) *Psal.* XII. *v.* 18. (d) *Psal.* XIII. v. I.
(e) *Psal.* XXXVI. v. 28.
(f) *in Lib. Esther Cap.* 10. (g) *Disquit. bibl. Lib. II. Cap.* VI. *p.* 329.

Castrius, qui speciali libro taxat plusquam quadrigentos textus Judæorum mala fide scriptos, & in odium Christianorum depravatos, & ex eo Marinus Mersennus, & tandem ipse Frassenus additis aliis ex penu suo: quo præfato adeo improbabilis videtur sententia opposita, ut illius patroni haud faciliter e præsenti compede valeant eruere pedem.

64. Si dicent præfatas corruptelas non irrepsisse in omnibus exemplaribus Hebraicis, plane occurrunt Hieronymo diserte testanti oppositum de undecim versibus cap. XIII., necnon tribus sequentibus capitulis Esther; *nec tamen* (ita legitur apud Vulgatam correctam Clementis loc. cit.) *habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum*. Præterea sermonem habens de 78. versibus Danielis, quos ex vetere Vulgata ipse tenuit, fatetur: *quæ sequuntur* (puta post versum 23. cap. III. Daniel.) *in Hebræis voluminibus non reperi*; & explicita ex Hebræo nova versione Danielis ad caput XII. usque, subdit: *huc usque Danielem in Hebræo volumine legimus: quæ sequuntur* puta (caput XIII. & XIV.) *usque ad finem libri, de Theodotionis editione translata sunt*. Est ne credibile Hieronymum de Hebræo Textu sic indefinite loqui, si allegatæ interpolationes ab omnibus Hebraicis exemplaribus non fuissent expunctæ? Tum etiam quum neque in hodiernis exemplaribus Hebraicis cernantur utpote corruptelæ tam famosæ, ut quamvis nonnullas alias minoris momenti non defuerint ex veteribus sive Judæis, sive aliis Hebraistis, qui studio perducendi in majorem censum Textum Hebraicum, restituerint, ut fuse dicam infra; (*a*) ne tamen de aperta fraude convincerentur, minime hisce in locis ausi sunt Hebræum immutare. Præterquamquod sat est scopo nostro quod nullus Hebræus codex modo habeatur, qui peculiares corruptelas non spiret, ut infra (*b*).

(a) *N.* 71. (b) *N.* 120.

65. Si reponent idcirco nonnulla in Hebræo non reperiri, quia Judæi pro scripturis canonicis ea non habebant, sane scipioni arundineo innituntur, quoniam ipsimet Protestantes, ut protocanonicos agnoscunt gratis animis librum Genesis, Psalmorum, Isaiæ, & Jeremiæ, asserentesque a Judæis in suo canone caute custoditum, & religiose agnitum; & tamen ex dictis hisce quoque in libris hodiernus Hebræus insignibus interpolationibus scatet: decipula igitur, atque adinventum stratagema quum dicitur, idcirco ab Hebraico nonnulla abesse, quia non continebantur in canone Hebræorum.

66. Si instent corruptelas Hebraici Textus consistere in quibusdam levioribus mendis, atque labeculis incuria scribarum, & temporum injuria irreptis: qui vel solas corruptelas nuper tactas perpendet, haud hanc auscultando gerram valebit risum cohibere. Si tandem corruptelas, quibus scatet originarius fons, minime ad fidem moresque bene instituendos spectare autument, consule dicenda (*a*).

SECUNDUS CARDO.

67. Hisce nostris temporibus pene innumerabilia sunt exemplaria Hebraici fontis: protendant quæso nobis adversarii exemplar illud quod magis purum, & integrum ipsis videtur, quodque nullam complectatur insignem corruptelam, atque ita pro Archetypo tenent: & sane hoc opus hic labor. Neminem eruditorum latet quantum Hebraistæ recentiores digladientur adinvicem unusquisque acriter exemplaribus, quæ nactus est, quibusque utitur, referens primas, & e contra graviter exprobans alia quæ cum suis non fideliter concordant. Heinc factum est ut Protestantes præcipui patroni adversæ sententiæ, nec unum exemplar dispicientes convenire cum altero, èo tandem

(a) *N. 77. & seqq.*

dem progressi sunt, ut uno ore, eodemque calamo testentur: omnes Hebræi codices tam M. S. quàm impressi erroribus obnoxii fuerunt, & sunt, ut visum est in paragrapho præcedenti. Et quamvis præjudicio abrepti præferendi Hebræum codicem Vulgatæ nostræ, adiicient, hujusmodi errores & varietates Hebræorum codicum levioris momenti esse, tamen præter quæ modo subnectentur (*a*) id quoque sat est; interdum ocularibus factis convictos, & sui ipsorum oblitos, haud sunt ausi quasdam graves corruptiones hodierni Hebræi ire inficias, ut constat ex dictis [*b*].

68. At quoniam inter tot exemplaria Hebraica Riccardus (*c*) contendit textum Masorethicum habendum esse veluti egregium bibliorum exemplar, idcirco præstat strictim referre animadversiones Honorati a S. Maria, quibus Simonium insectatur. Honoratus itaque observat (*d*) quoad integritatem Masoræ Simonium statuisse sequentia. I. Masora nihil divinum continet, quia Doctores Tyberiadis innumeris locis offendere potuerunt. *Secundò* quum Masorethæ textum Hebraicum instaurarunt caruerunt exemplaribus sacris emendatis. *Tertiò* in textu menda innumera prætermiserunt, & conjecturis potius, quam germanæ traditioni institerunt. *Quartò* regulas suas non recte accommodaverunt, cum oscitanter antiquas versiones examinarint. *Quintò* cuivis interpreti fas est leges Masorethicas diversa plane ratione digerere, amplificare, aut coercere ex aliis exemplorum lectionibus, cum meliorem intelligentiam suppeditant. Denique Masora confusa non parum est & involuta, convenitque inter omnes, eum, qui in compendium illam redegit non omnia inde vitia sustulisse; quod si postea ad placitum Simonii tot vitiis scatet Masora, totque infirmis

R 2 præ-

[a] *N.* 77. *& seq.* [b] §. IV.
[c] *Lib. I. Sacr. cit. vet. testam. Cap. I.*
[d] *Dissertat.* V. *artic.* IV. §. III. *Tom. I. pag.* 424.

præsidiis necnon insignibus erroribus Masorethæ laborarunt quis non videt, Simonium hac in parte super prunas non ambulare, aut non sibi ædificasse domum aranei? est communis Judæorum, & Christianorum sententia, textum Hebræum purum, ac sincerum, esse ipsum Dei verbum; itaque si per Simonium Masora nihil divini continet, nihil quoque auctoritatis habebit. Prætermitto conficere consimilia argumenta quum, cuique viro cordato sedulo consideranti cætera Simonii nuper relata statuta, præsto occurrant.

TERTIUS CARDO.

69. Hodiernus fons Hebræus nec cum eo fideliter concordat, quo Hieronymus usus est, ergo multò magis hodiernus Hebræus discrepat ab eo qui Apostolorum tempore limpide fluebat. Omnes enim bene noscunt, eò exemplar aliquod suo Autographo existimandum fidelius respondere quò propius ei fuit. *Veritas enim* inquit Waltonus (*a*) *est errore antiquior, & codices quò antiquiores, eò primis auctographis propiores, & per pauciores descriptiones a primis fontibus derivantur: quò enim sæpius unum ex altero exemplar describitur, eò facilius errata irrepere possunt .... Hinc colligitur, lectionem quam secuti sunt antiqui Ecclesiæ Scriptores, qui propius Apostolorum temporibus vixerunt, plus auctoritatis habere, quàm recentiorum quorumcumque, utcumque doctrina polleant*. Indubium itaque videtur magis ad Archetypum Hebraicum accessisse exemplaria quibus usus fuit Hieronymus, ac quæ hodie adsunt nobis; incumbit igitur priorem propositionem demonstrare.

70. Marius Victorius pro re tam explorata tradit, ut scribat (*b*) *quot in Hebræa Lingua errores ...apud sacros li-*

(a) *Proleg.* VI. §. *6. p.* 273. *col.* I. (b) *Scholia in epist.* CXLV. *Hieronym. ad Damasum apud eundem Hieronym. Tom.* III. *p.* 786. *B.*

libros irrepserint, *facile cognoscet*, *qui Hieronymi super Genesi quæstiones diligenter examinabit*: *inveniet enim sæpe*, *nunc in Hebræo non esse lectionem*, *quam se ille tunc habuisse profitetur*; hinc sub littera E. subdit: *ubi nos apud Ezechielem legimus fluvium* Chobat, *legebat* (Hieron.) Chobad: *ubi nos* rasen, *de qua mentio est in Genesi*, *Hieronymus & Eusebius habebant* dasen, *ut in libro de Hebraicis locis sub hujus litteræ classe*, *ne quis impressoris putet errorem*, *invenies*; In eandem sententiam descendere videtur Salmeron (*a*) ubi verba faciens de utilitate quam Hieronymiana versio attulit Ecclesiæ: *Par fuit*, inquit, *ut sinceram & veram scripturam*, *saltem ex Hebræo fonte minus eo tempore vitiato*, *Hieronymus fidelius verteret*. Et alibi (*b*): *sunt ergo puncta inventa a tempore videlicet Massoretharum*, *qui totam rationem differentiæ posuerunt penes consonantes*, *& non penes puncta*, *quorum ipsi autores extiterunt*, *atque inde nata est diversitas lectionis Hebraicæ*, *& nostræ antiquæ versionis per Hieronymum factæ*. Joannes Silveira (*c*): *Textus Hebræus*, *modo in ea sinceritate ac puritate non habetur ut in tempore divi Hieronymi*; Eodem passim alii viri graves tendunt, & noster Frassenus (*d*) probe observat id accidisse potissimum propter recens a Masorethis punctorum inventum: ita tandem Antonius Casinus ubi supra.

71. Decretorium tamen censeo sequens momentum. Non semel Hieronymus testatur reperisse in Textu Hebræo, & non apud versionem Septuaginta sui temporis hujuscemodi oracula veteris Testamenti: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, & *quoniam Nazaræus vocabitur*, & *videbunt quem confixerunt*, & *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, & *quæ nec oculus vidit*, *nec auris audivit* &c. & tamen recentiores Hebraistæ haud obtempe-

(a) *Proleg.* III. *p.* 23. *col.* I. (b) *p.* 39. *col.* I.
(c) *in Opusc. Resolut.* IV. *n.* 469. *p.* 71. *col.* 2.
(d) *Lib. II. Disquisition. Cap.* VI. *p.* 310.

perant Hieronymo, dicentes, in hodiernis codicibus Hebræorum, & Septuaginta non reperiri quod olim reperisse testatur Hieronymus; qua de causa Waltonus (*a*) non veretur de vitio jactantiæ criminari Hieronymum, quia *excepto primo*, inquit, *& fortasse tertio* (testimonio) *reliqua nec in Hebræo, nec in Græco quoad verba reperiri*. Cui ergo compertum non fiet id unice evenire quia codices Hebraici, & Græci quos hodie habemus, minime concordant cum iis qui tempore Hieronymi circumferebantur? Heinc puto haud divinari, aut infirmam conjecturam proferre cum afferam, Judæos cæterosque hostes Hieronymianæ versionis, qua Romana Ecclesia utitur, ut hodiernis fontibus, & versioni Septuaginta majorem fidem conciliarent, idcirco noviter in eis restituisse, quæ in codicibus Hieronymi, aliorumque veterum prioris, vel ejusdem ætatis non reperiebantur (*b*).

72. Waltonus post data verba, interjectis quibusdam aranearum telis, petulanter concludit: *Sic videmus Hieronymi jactantiam in fumos abire*: verùm dum jactantiæ criminatur Hieronymum, effrænem jactatorem se probat. Sciendum, Hieronymus hoc potissimum oculari facto quod in Hebræo, & non in Septuaginta reperiebantur quinque præfata testimonia veteris Testamenti (quæ Apostoli utpote legitima divina oracula in novo Testamento laudant) vexabat, & convincebat suos obtrectatores; & utpote momentum firmissimum, & irrefragabile haud contentus fuit semel, vel bis, sed passim suis æmulis opponere, ut constat præfatione in Pentateuchum (*c*) præfatione in Paralipomenon (*d*) præfatione in Esdram & Nehemiam (*e*) Libro secundo in Ruffinum (*f*) necnon aliis in locis. Quis ergo credet, quod ubi Hieronymus hoc fortissimo momento cohibebat suos adversarios, isti

e con-

(a) *Proleg. IX.* §. 39. *p.* 338. *col.* 1. (b) *Vid. n.* 172. *circa finem.*
(c) *Tom. III. p.* 679. *F.* (d) *P.* 685. *E.* (e) *P.* 688. *A.*
(f) *Cap. IX. Tom. II. p.* 519. *G.*

e contra, & omnes, qui tum ex Hebraicis, tum Græcis, tum Latinis non pauci erant, omnes inquam adeo ignaros fuisse segnes & tardos, ut telum quo frequenter jugulabantur neglexerint examinare & probare; solique Waltono & aliis recentioribus relinquentes tam veteris, vulgatæque strophæ festivam lætamque reserationem? Præterea si Waltoni observatio alicujus foret pensi nedum jactantiæ, verùm & summæ temeritatis notæ se se Hieronymus exposuisset, quum Hebræi ad quos sæpe appellabat (a) de hujusmodi mendacio acriter exprobare potuissent. Item ubi Hieronymi virtus? ubi ingenuitas? ubi veritas quam Christianis maxime propriam prædicabat, acriterque in Ruffino eam ledente damnabat? *Credidi*, inquit, (b) *Christiano, credidi monacho, non putavi tantum sceleris a te posse confingi.*

73. Nec in Hebræo, repetes cum Waltono, ea testimonia reperiuntur; veritatem dices si intelligas de Hebræo hodierno, ob idque mihi argumento fuit asserendi hodiernum Hebræum distare ab eo, quo Hieronymus usus est; atque ita facto evincere quod si hodierni fontes non concordant cum illis quos Hieronymus habuit, multò magis distabunt ab eis, quorum usum habuerunt Apostoli & Evangelistæ. *Sic videmus*, pergit egregius Aristarchus, *Hieronymi jactantiam in fumos abire;* at vide quomodo Hieronymus in Ruffino, & per augurium Waltono, qui vocem fumi a Ruffino mutuo accepit, insectatur; *tu qui*, inquit (c) *per singulas paginas fumos meos ventilas, non intelligis videre nos caligines tuas & turbines?* Et (d) *pulcbritudo oculorum tuorum, amaritudinem fumi nostri ferre non potest.*

QUAR-

(a) *Lib. II. in Ruffinum Cap. VII. Tom. II. p.* 517. *C. & Cap. VIII. p.* 518. *B. & alibi*. (b) *Lib. III. in Ruff. Cap. IV. Tom. II. p.* 529. *H.*
(c) *Lib. III. in Ruff. Cap. VIII. Tom. II. p.* 534. *D.* (d) *Cap. IX. p.* 535. *C.*

nullum prorsus, vel levissimum mendum correctione dignum, complectitur; perperam ergo dicitur, Patres Tridentinos in rebus tantum fidei, & morum Vulgatam declarasse authenticam; sicque a capite recurrit allatum incommodum a Salmerone proditum. Hoc obiter dictum est, exactam discussionem hujus momenti reservando, quum de secunda, & tertia Demonstratione sermo instituetur; interim consule dicenda, (*a*) quæ huc redigi possunt.

77. *Contra secundò*, quod hodiernus Hebræus in rebus fidei, & morum integer sit, atque purus non leves supersunt difficultates superandæ.

Prima, quia constanti seculorum traditione claret, idcirco Judæis curæ fuisse nonnulla corrumpere in Textu, ut omnibus modis Christianam fidem, moresque Christianos disperderent; frustra igitur laborassent si ex tot corruptelis, quas sacro Textui injecerunt, nec una offendisset fidem, moresque Christianorum: omne siquidem agens a proposito, nonnisi propter consecutionem finis media adhibet; itaque Judæi si ut abriperent e medio Christianam religionem Hebræum Textum constuprarunt, profecto, videtur inverisimile in nullo hunc violasse quoad Christianorum dogmata.

78. *Secunda*, cui ne cordato viro gravis ponderis non erunt eæ insignes corruptelæ quas PP. Theologi, imo & Hæretici tribuunt Judæorum vafritiei, nimirum Isaiæ IX. v. 6. *Et vocabit eum*, (*b*) Psal. XCV. ubi sublatum est *a ligno*. (*c*) Deuter. XXVII. v. 26. abrasum *τὸ omnis*, & *in omnibus*; (*d*) & omissis aliis potissimum a Romanis Doctoribus Hebraicæ Linguæ peritis passim annotatis, & illud Psal. XXI. v. 18. *sicut leo manus meas* probe agnitum tam a Catholicis, quam ab Hæreticis? Verùm ut veritas ista magis elucescat, haud grave sit unius saltem corrupti testimonii pe-

(a) *Num.* 237. *& seqq.* (b) *De quo num.* 55. *& seq.* (c) *V. num.* 10. (d) *V. N.* 18.

riculum facere. Annon hujuscemodi constupratio, quam Judæi Isaiæ IX. loco *vocabitur* substituerunt *vocabit*, quàm gravissime lædit Christianam fidem?

79. Rem bene conficere arbitror quum ostendam, quanti hocce oraculum ad evincendas exortas hæreses, veteres PP. fecerint. Et sane inter alia oracula Scripturæ laudatum testimonium Isaiæ adhibuerunt PP. Concilii Nicæni, qui per piissimos Episcopos Leontium, & Eusychium refutarunt argutias Phædonis Philosophi pro impio Ario, & blasphemia ariana verba facientis; (*a*) Acacius Episcopus Melitenes in Homilia, quam habuit in Concilio Ephesino, ut probaret Divina Jesu Christi insignia; (*b*) Sanctus Leo Magnus in Epistola synodica ad Flavianum Archiepiscopum Constantinopolitanum, pro confutatione Eutychianæ hæresis (*c*) PP. Concilii Hispalensis II., sive Bracarensis juxta Ivonem, celebr. anno Christi *619.* contra quemdam Episcopum natione Syrum, abnegantem in Christo duarum naturarum proprietates. (*d*) Tandem ut alia reticeam Episcopi Galliæ, & Germaniæ in epistola synodica ad Præsules Hispaniæ congregatos in Concilio Francofordiensi habita anno 794. contra Felicianam hæresim: *& vocabitur nomen ejus Admirabilis*, *Deus fortis*, *princeps pacis*, *pater futuri seculi*: *intelligite*, subdebant, *fratres quæ legitis*, *& nolite nova*, *& incognita nomina fingere*: *sed quæ in S. Scriptura inveniuntur tenete*. (*e*) Quibus cuique perspicuum fieri existimo, quod sicut laudato testimonio Isaiæ proceres nostri dogmata Christianæ fidei probarunt, & errores refellerunt, ita Judæi constuprantes hunc locum, corruptum de consequenti in re præcipua Christianæ fidei suum Codicem reddiderunt. *Restauratur*, si ubi in Vulgata legimus (*f*) *Hoc est corpus meum*,

quo

(a) *Apud Hard. Tom. I. p.* 395. *D.* (b) *Apud Eund. Tom. I. p.* 1642. C. (c) *Idem Tom. II. p.* 291. *D.* (d) *Idem Tom. III. p.* 563. *A.* (e) *Apud Eund. Tom. IV. p.* 895. *A.* (f) *Matth.* XXVI. *v.* 26.

quo quippe Christi testimonio probamus veram, & realem Jesu Christi existentiam sub speciebus panis, substitueretur Hæreticorum malitia *Hoc est corpus tuum;* quisne virorum catholicorum non quereretur, etiam in rebus fidei Vulgatam vacillare? hac enim constupratione interposita, non amplius laudata verba referrentur ad corpus Christi, a quo in cæna prolata fuere, quæque quilibet Sacerdos gerens personam Christi in consecratione profert; at hoc ipsum infandum Judæorum malitia cernimus in hodierno Hebræo, quoniam divinitatem, quam Propheta in Messia Servatore nostro Jesu prænuntiavit dicens *& vocabitur admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus fortis*, Judæi substituentes *vocabit*, plane, sicut hujusmodi epitheta divinitatis non amplius ad Messiam, sed ad Deum Patrem referuntur, ita hodiernus Hebræus hoc in loco hujusmodi vitium complectens, lædit fundamentum Christianæ fidei; sicque in rebus quoque fidei hodiernus Hebræus videtur exauthoratus. Quæ de Isaiæ oraculo deprompsimus, servata proportione confici possunt de consimilibus constuprationibus, consignatis num. præcedenti, & alibi.

80. *Tertia* si fontes hodierni in rebus fidei, & morum integri essent, atque puri, sane hujus generis controversiæ ad lancem, & perpendiculum fontium, non autem Vulgatæ definiendæ forent, sicut revera non infrequenter nonnulli de Catholicis quoque fugum faciunt Waltono affirmanti (*a*) *omnes de fide & religione controversiæ examinari debent ad fidem Textus Hebraici veteris*, *& Græci Novi Testamenti*; atqui tueri controversias fidei, & morum judicari, & definiri debere ad normam Fontium quàm longissime videtur distare a recta Catholicorum sententia: audiamus celebratissimum Canum, qui in Concilio Tridentino sub Julio III. magnum sibi nomen peperit. *Si qua*, inquit, (*b*) *morum*, *& fidei quæstio* *in-*

(a) *Proleg.* VII. §. 17. *p.* 284. *col.* 2. *& alibi*. (b) *Lib.* 2. *de loc. Theol. Cap.* XIII. *p.* 53. *col.* 2.

inter catholicos exoriatur eam definiri oportere per latinam hanc veterem editionem ; cujus videlicet si aliquod testimonium alteram quaestionis partem confirmaverit , ea sit catbolicis amplectenda : sin contra reprobaverit , rejicienda .- In fidei ac morum disputatione non esse nunc temporis ad Hebraica Graecave exemplaria provocandum , nec ex iis certam controversiarum fidem esse faciendam. In bis, quae ad fidem & mores pertinent non esse latina exemplaria per Hebraica, vel Graeca corrigenda; quid clarius, quidve splendidius? nec velim putes id obiter adseruisse, ut potius gravi momentorum pondere isthæc adserta luculenter probavit, quæque summatim libet referre.

81. *Primò* exemp. gr. ponatur quod vocetur hodie in dubium, utrum historia Mulieris adulteræ, quæ nomine Joannis Evangelistæ (*a*) quotannis legitur, vel Esther (*b*) vel Hymni trium puerorum, vel Susannæ, Idoli Bel, & Draconis apud Danielem, veræ sint & canonicæ; & quispiam neget veras esse, dicant Catholici adversarii, quid pro hujusmodi resecando jurgio providendum erit? si dicis, recurrendum ad fontes, consequens profecto est hujusmodi historias esse meras fabellas, quum apud fontes haudquaquam reperiantur. Si meræ fabellæ sunt, vel saltem de veritate non constant , *jam* , perbelle concludit Canus (*c*), *Romanæ, Latinæque ac Catbolicæ Ecclesiæ fides , & auctoritas infringitur, violatur, enervatur, dum errare in cæteris posse simili ratione existimabitur . Quod quoniam absurdum penitus erat, jure idem Concilium Tridentinum eadem sessione decernit, ut si quis libros ipsos canonicos integros cum omnibus suis partibus ... non susceperit , anathema sit .*

82. *Secundò* certum est scholasticos auctores, qui tribus seculis, & amplius floruerunt, licet Græcæ, & Hebraicæ imperitos, multa tamen dogmata ad normam solius Latinæ Vulgatæ confirmarunt , multasque hæreses diffa-

(a) *Cap.* 8. (b) *Cap.* XIV. XV. & XVI. (c) *Loco cit. p.* 54. *col.* 1.

diffamarunt & difpulerunt. Quod fi poftea controverfiæ fidei, & morum non ad normam Vulgatæ, fed Fontium refcindendæ erunt, argumento eft miferos homines illos fuiffe, ut qui (*a*) *trecentum annos, atque eo amplius, & oleum & operam perdiderunt*: infuper Romanam Sedem non bene fe gefiffe, quum hujufmodi agendi rationem videndo, tacuit, imo probavit. Quod fi poftea hæc vel fomniare virum Catholicum dedecet, credendum eft certe veteres fcholafticos fuis ftabiliendis conclufionibus tutos fe fe Latinæ Vulgatæ commififfe, nec non hanc agendi rationem Ecclefiam tanquam rectam & fecuram fuo confenfu adprobaffe. *Ea*, fubdit Canus, *igitur editio eft a fidelibus retinenda.*

83. *Tertiò* fi ad fidem Fontium dirimenda funt ea quæ ad fidem fpectant & mores, infertur haud prudenter Romanam Ecclefiam quofdam imperitos Hebraicæ, & Græcæ conftituiffe, & etiamnum conftituere Inquifitores hæreticæ pravitatis, ut quibus medium deeft diftinguendi veritatem ab errore, Catholicos ab Hæreticis. Infertur quoque quod *Latini fideles* (*b*) *Græcas, Hebraicafque litteras ignorantes*, tametfi bene affequantur intelligentiam Vulgatæ, adhuc *femper ancipiti fententia pendebunt, fiquidem nefciunt, num quæ Latinæ legunt, fic, an aliter apud Græcos, & Hebræos habeantur. Vacillabit itaque omni loco legentium fides, nec poterit alicubi firma confiftere. Quo quid perniciofius effe poteft.*

84. *Quartò* ideo hodierni Doctores Hebræorum, ficut quoque Hæretici, noftri videlicet inimici etiam in rebus fidei, & morum acriter contendunt a Vulgata appellare ad hodiernum Hebræum, ut hac lege longam fibi ftruant, latamque viam ad eludendam fidem Romanæ Ecclefiæ; quoniam tum ob permultas corruptelas quibus Hebræus hodiernus fcatet, tum ob multiplicem fignificationem quam nonnulla vocabula Hebraica admittunt;

(a) *Canus loco cit.* (b) *Idem p. 55. col. 1.*

tunt, tum ob parvam peritiam veræ Hobraicæ linguæ, qua destituti sumus; nuspiam eos possumus invicte convincere, quin ad quamlibet nostram quantumvis rectam demonstrationem ex Hebræo erutam, festinanter reponant; vel quod alii Codices, & versiones non ita legunt, vel quod juxta regulas grammaticæ res non ut videtur nobis se habeat, atque ita nuspiam aliquod Romanum dogma ex scriptura poterimus ultimate eruere. *Si*, meritò scripsit celeber P. Joannes de la Haje (*a*) *in disputationibus, & controversii liceret recurrere ad exemplaria Hebraica, rejecta editione Vulgata, nulla nobis restaret via convincendi Hæreticos, ex sacris litteris; nam quoties Hæreticus aliquo testimonio pene esset convictus, ad Hebraicum codicem aliter habentem clamaret, & ita non esset in Ecclesia Catholica regula aliqua, infallibilis, & certa pro dubiis aperiendis.*

85. Juvat tandem quædam laudare apophthegmata eximii Cani, religioso zelo interdum fervescentis contra Catholicos, qui tuentur in fidei & morum disputationibus esse ad Hebraica, Græcave exemplaria provocandum. *Si absurdum*, inquit, (*b*) *è nostratibus ad alienos, idest Hebræos, & Græcos appellare, si impium, ad Judæorum, ac Schismaticorum senatum referre catholicæ fidei consultationem: haud equidem intelligo, quorsum Theologus huic errori consentiat, ut non existimet, editioni Latinæ certam fidem habendam*. Et paulo infra: *qui hanc nostram editionem infirmare cupiunt, videntur mihi nihil aliud moliri, nisi quoddam occultum Heræticorum patrocinium*; nempe, despicient Inquisitores, Scholasticos auctores, omnes fere Ecclesiæ PP. qui Hebraicam linguam quatuor, vel quinque exceptis minime calluerunt; sicque illos *in veteri Testamento hallucinari necesse erat, imo adeo ejusdem instrumenti Sacramenta omnia cæcis oculis attre-*

(a) *In Biblia Maxim. proleg. sect.* XVI. *Cap. III. tom.* I. *p.* 80. *col.* 2. (b) *p.* 54. *col.* 2.

trectare. Huc revera acri studio tuendi integritatem hodierni Hebræi, & fœculentum fluxum Vulgatæ nostræ progressi sunt Joannes Clericus, necnon ipsius Assentator Buddæus; (*ex Græcis patribus pauci linguæ Hebrææ, ex latinis quidam nec græcæ satis, multo minus hebrææ habuerunt notitiam; criticæ quoque artis plerique rudes fuere, hinc & eximio in scriptura sacra interpretanda, ejusque sensu litterali investigando, destituebantur præsidio*, ita evomit Buddæus (*a*) imo nec ipsi Hieronymo trium linguarum peritissimo parcunt; ut suo loco exponemus. Huc quoque necesse est accedant Catholici, qui hac super re Waltono cæterisque Hæreticis suffragantur: *eam* (ita rem explicit Canus cit.) *si Christianæ aures meritò perborrescunt, consentiamus, prorsus latinam Vulgatam editionem a fidelibus esse tenendam.* Quo præfato

86. Dicas amabò, te nostris recentioribus Theologis, qui tuentur controversias fidei, & morum ad normam fontium dirimendas esse, præfata momenta Melchioris fuit ne curæ vel obiter examinare, aut non? si non, sycophantas se se produnt, quoniam in tanta (de qua gloriantur veterum, & recentiorum Catholicorum, Hæreticorumque jugi lectione, neglexerunt consulere celebratissimum Canum, cui ob perspicuitatem, & claritatem doctrinæ, quàm maxime in Opere de Locis Theologicis Sfortia Pallavicinus, Antonius Possevinus, Franciscus Garsia, Seraphynus Razzius, Perrerius, Miræus, Bannez, Du-Pin, Gaddius, plerique alii æternas laudes concesserunt. Si verò Canum sedulò perlustrarunt, deprehenderunt sane aut bene, aut male rem suam cantasse. Si bene? cur non acquieverunt Cani sententiam adoptantes. Si male? quare id sua eruditione demonstrare non sunt aggressi, atque in apricum ponere?

87. Concludamus igitur oportet, quod si contulerimus doctrinam Cani aliorumque summorum virorum, qui doctri-

(a) *De Theologia patristica* §. IV. *p.* 491.

ctrina simul & pietate in domo Dei floruere, de non dirimendis controversiis fidei, & morum ad normam fontium, cum eo axiomate quorumdam Theologorum : *hodierni fontes ubi limpide fluunt Vulgatæ præferuntur*, non obscure eruetur, fontes etiam in rebus fidei & morum interdum turbide fluere; quia si juxta eorum systema ibi fontes anteponuntur Vulgatæ, ubi limpide fluunt, profecto, ex oppositorum regulis consequens est, quod ubi Vulgatæ non præferuntur ibi necesse est turbide fluere supponantur; atqui ut peroptime probat Canus in definiendis rebus fidei, & morum Vulgata præferenda est fontibus, ergo ideo præferenda quia in rebus quoque fidei, & morum fontes haud ab omni corruptela sunt immunes.

88. Intelligo hinc posse objectari. Quum tam fontes, quàm Vulgata in rebus fidei & morum sinceritate, ac puritate polleant, videtur meram esse nominis quæstionem dum inquiritur utrum ad normam fontium, vel vulgatæ dirimendæ sint præfatæ controversiæ; ut enim hisce in locis fontes, & Vulgata quàm fidelissime concinunt, ita ad unius æque, ac alterius normam eas definitas esse censentur. Ast in primis a numero 78., & alibi ostensum est in re quoque fidei hodiernum Hebræum a Vulgata interdum distare; insuper quoad interpretationem recipiendam, magis se late patent fontes quàm Vulgata; tandem si quod hic opponitur recipiemus, plane illud feliciter Hæretici consequentur, quò eorum scopus semper collimavit: statim enim clamabunt; si vobis testibus controversiæ definitæ ad normam Vulgatæ, tales quoque ad lancem fontium censentur esse, igitur adeamus fontes ; hic dicas, quid eis opponeremus? nihil sane. Igitur vel si alia deessent motiva, ut revera præsto sunt nobis, saltem ad occupandam hujuscemodi Hæreticorum gerram omnibus Catholicis cordi debere esse existimo, pro virili elaborare, firmioribusque momentis ostendere corruptionem hodier-

diernorum fontium in rebus fidei & morum; siquidem hac lege, nullus in posterum Hæreticis suppetet subterfugiendi cuniculus, quia utpote rationis compotes, solam Vulgatam correctam hisce postremis temporibus ceu verum, ac integrum verbum Dei, opus est, agnoscant.

QUINTUS.

Quatruplici medio coagmentatus.

89. *Primò* si hodiernus Hebræus limpide flueret, haudquaquam Hieronymus in sua adornanda versione veteris Testamenti ab Hebræo discessisset aliquid addendo, diminuendo, vel immutando; porro quod Hieronymus passim ab Hebræo discesserit aliquid interdum addendo, diminuendo aut immutando adeo perspicuum est, ut ipse quoque Waltonus, licet absimili consilio a nostro, plerisque speciminibus probet (*a*). Quorsum itaque istud, nisi quia Hieronymus pro comperto habebat, Hebræum Codicem in nonnullis, vitiis scatere? quare dum opponitur, Hieronymum non infrequenter testari se de Hebræo textu quippiam non mutasse, sed fidelissime quæ in Hebræo erant Latino sermone expressisse, loquitur de Hebræo Textu puro, qui quidem in nullo uno codice sed in tota Biblicorum codicum universitate continebatur, ut fuse enucleabitur a num. 120. & 125. Sequeretur pariter, quod neque Hieronymus habuisset absolutam trium Linguarum cognitionem; ut passim delirant Hæretici Joannes Clericus in Quæstionibus Hieronymianis, & Buddæus. (*b*) quod tandem sit sententia (prout a Waltono definitur;) (*c*) aperte falsa, & vix refutatione egeat, dicere, quod Hieronymus speciali Spiritus S. auxilio versionem suam condiderit. (quæ di-

T ēte-

(a) *Vide Caput Prodr. paragrapho* VI. *fragm. ultimo circa medium.*
(b) *De Thelogia Patristica* §. IV. *pag.* 492. *col.* 1.
(c) *Proleg.* X. §. *6. p.* 354. *col.* 2.

ſteria ex professo eventilabuntur demonstratione secunda) Et ratio est, quia quum in hodierno Hebræo revera cernantur nonnulla, quibus Hieronymiana versio non bene quadrat, idcirco ne dicatur hodiernum Hebræum fuisse corruptum, concludunt, Hieronymum vel per inscitiam, vel oscitantiam errasse.

90. *Secundò* si hodierni fontes Hebræus veteris, Græcusve novi Testamenti non essent insignibus corruptelis obnoxii, qua lege sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum statuerit, ea in quibus fontes opponuntur Vulgatæ, contineri sub censura tertiæ regulæ Indicis, haud satis video. Anne Congregatio ad regulam Indicis remisit menda quæ non in fontibus sed in spatiis imaginariis extabant, vel ea in quo fontes limpide fluunt, & cum Vulgata concordant? Dicamus ergo oportet Sacram Congregationem pro comperto habuisse turbidum fluxum hodiernorum fontium. *Quoad oppositiones* refert Joannes Gallemart (*a*) *autem contextus Græci, aut Hebraici cum Latina Vulgata editione, Congregatio remisit ad tertiam regulam indicis sub Pio IV. editam.* Si vero tertiam regulam Indicis consuluerimus, videtur contextus Græcos, & Hebraicos viris tantùm doctis, & piis judicio Episcopi concedi posse, & illis quibus conceduntur, ceu elucidationibus Vulgatæ editionis ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu illis fontibus utantur. Cæterum omnibus perspectum est, in regulis Indicis nonnisi sermonem fieri de libris, quos sine quibusdam conditionibus haud licite legere possumus; consequenter adeo indubium est in hodierno Hebræo reperiri corruptelas, ut sub censura existant tertiæ regulæ Indicis. Waltonus (*b*) suspectam habet hujusmodi declarationem Congregationis, eo quod in variis editionibus, dicit, non inveniri; verum hujusmodi

(a) *Apud Codicem Concilii Tridentini editum Coloniæ Agrippinæ anno* 1621. *p.* 10. (b) *Proleg. X. §. ult. pag.* 361. *col.* 2.

modi suspicio infirma se prodit ex quo eam cernimus consignatam in allegato codice, in cujus præfatione Joannes Gallemart divinæ facultatis Doctor, & in Academia Duacena professor testatur ex acceptis fidelibus exemplaribus, dumtaxat legitimas declarationes Congregationis ibi referre, sicut è econtra de supposititiis tenere silentium.

91. *Tertiò* communis est Theologorum traditio, (*a*) ideo Hæretici adversam sententiam tuentur, ut facilius viam sibi struant ad explodendam auctoritatem Vulgatæ, quam Concilium probavit; semel enim statuto, originarios fontes esse immunes ab omni corruptela, consectarium est, Vulgatam ea auctoritate non gaudere, qua fontes pollent; pariter & hoc aliud consectarium, licitum esse etiamnum a Vulgata provocare ad fontes; quare Waltonus cum Capello Systino Amama, Bochardo, Grotio, Ludovico de Dieu, Daniele Heintio, Crojo, Buxtorfio, aliisque ejusdem farinæ acriter tuentur puritatem, integritatemque hodierni Hebræi, & inde Vulgatam æqualem reddunt cæteris Latinis versionibus etiam ab Hæreticis elucubratis: vide igitur quantum interest Catholicorum ostendere turbidum fluxum fontium, si eis cordi erit tueri Vulgatam, quam Ecclesia in Tridentino congregata suo calculo consecravit.

92. *Quartò* si fontes hodierni limpide fluerent, sane ad fidem istorum Vulgata probanda foret & corrigenda; sed capite VI. hujus demonstrationis affatim exponemus Vulgatam probatam in Concilio, & postmodum a Sancta Sede correctam non esse ad normam hodiernorum fontium probandam, vel corrigendam; igitur &c.

(a) *ut in num.* 7. 8. 36. 43.

OBTERUNTUR ADVERSARIORUM OBJECTA.

§. VI.

Ad crisim revocantur ex Hieronymo, & Augustino opposita momenta.

HIERONYMUS.

93. In Caput VI. Isaiæ: *Si aliquis*, inquit, *dixerit Hebræos libros a Judæis esse falsatos audiat Originem, quid in octavo volumine explanationum Isaiæ huic respondeat quæstiunculæ, quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent. Sin autem dixerint post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangelistæ, & Apostoli ita testimonia protulerint; ut Judæi postea falsaturi erant*. Tanti ergo exigui ponderis visa est Hieronymo sententia asserens libros Hebræos post adventum Domini fuisse a Judæis falsatos, ut cachinno eam illuserit.

94. Ad hocce Hieronymi testimonium, de quo patroni adversæ sententiæ quàm frequentissime gloriantes putant triumphum ducere, quodque nobis e contra primo adspectu negotium facessit, respondeo, expendendo illud *cachinnum tenere non potero, ut Salvator &c.* & hujusmodi pronunciato Hieronymus irridet sententiam quorundam Hæreticorum delirantium, post adventum Domini & prædicationem Apostolorum taliter Judæos constuprasse codices bibliorum, ut ex eo jam tempore Ecclesia Christi integritatem Scripturarum amiserit, esto; irridet sententiam nostram qua tuemur, tametsi quemlibet codicem bibliacum fuisse circa initium secundi sæculi immediate

vel

vel mediate a Rabbinis & Semi-judæis in nonnullis constupratum, minime tamen Ecclesia in tota codicum collectione vel apicem Divinarum Scripturarum amisit, negatur.

95. *Nota*. Hieronymi, & Augustini temporibus hæresim illam invexisse, qua nonnulli contendebant, adeo Scripturas a Judæis fuisse conspurcatas, ut nullum ex extantibus Codicibus validum argumentum desumi potuisset ad rescindendam controversiam aliquam religionis: contra quos Augustinus (*a*) *Nihil*, inquit, *mihi videtur ab eis impudentius dici, vel, ut mitius loquar incuriosius, & imbecillius, quàm Scripturas Divinas esse corruptas*. Et alibi (*b*) paritate desumpta a libris Hippocratis aliorumque veterum Auctorum sequenti ratiocinio eos evincit: *hos libros*, inquit, *quibus illi de transverso proferuntur, comparati respuuntur, unde constat esse Hyppocratis, unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed videtur, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus, & deinceps successionis series commendavit, ut hic dubitare dementis sit. Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum librorum, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?* Hactenus ille. Hieronymus (*c*) productis quibusdam testimoniis novi Testamenti quibus probat perpetuam virginitatem Immaculatæ Virginis: *Licet*, fatur, *tu* Helvidi *mira impudentia hæc in Græcis Codicibus falsata contendas*. Et item (*d*) *ne forte de exemplariorum varietate causeris: quia tibi stultissime persuasisti, Græcos Codices esse falsatos*. Quare, vel si alia abessent, ex sola acri methodo loquendi in qua concordant hæc testimonia Augustini & Hieronymi cum cachinno, quem testatur Hieronymus se haud

(a) *Lib. de utilitate credendi Cap. III. Tom. VIII. col.* 49. *B.*
(b) *Lib. XXXIII. contra Faustum Manichæum Cap. VI. Tom. VIII. col.* 466. *G.* (c) *Lib. adversus Helvidium Cap. IV. Tom. II. p.* 312. *B.*
(d) *Cap. VIII. p.* 315. *F.*

haud posse tenere, cuique persuasum iri censeo, Hieronymum cachinno horum Hæreticorum sententiam irridere, & illudere.

96. Præterea Hieronymus loco cit. in Isaiam quæstionem excitat. *Quare Apostolus Paulus cum Hebræis disputans, non juxta Hebraicum, quod rectum esse cognoverat, sed juxta Septuaginta sit locutus?* & quoniam insani homines qui contendebant Scripturas taliter corruptas esse, ut non amplius in Ecclesia esset integrum Dei verbum, quàm faciliter responderent dicendo: idcirco Apostolum locutum fuisse juxta Septuaginta, quia Hebræi codices falsati erant; hac de causa directe in hanc hæresim irruens subdit eo loci: (a) *quod si aliquis dixerit post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero.*

97. Item annon Manichæi asserebant post prædicationem, & assumptionem Apostolorum fuisse a Judæis in novo Testamento multa inserta quæ nec a Christo, nec ab Apostolis fuere scripta? annon heinc rejiciebant omnia oracula Christi, & Apostolorum quæ probant aut voluntariam virginitatem, aut abstinentiam a carnibus in antipaschali jejunio, aut veritatem carnis Christi? Legesis Augustinum (b). Et alibi (c) Augustinus introducit Faustum Manichæum contra Catholicos in hunc modum differentem. *Multa a Majoribus vestris, eloquiis Domini nostri inserta verba sunt; quæ nomine signata ipsius, cum ejus fide non congruant: præsertim quia, ut jam sæpe probatum a nobis est, nec ab ipso hæc sunt, nec ab ejus Apostolis scripta: sed multa post eorum assumptionem a nescio quibus & ipsis inter se non concordantibus, Semi-Judæis per famas opinionesque comperta sunt; qui tamen omnia eadem in Apostolorum Domini conferentes nomina, vel eorum qui secuti Apostolos viderentur,*

(a) *Tom. IV. p.* 25. *G.* (b) *Lib. XXX. contra Faustum Tom. VIII. a col.* 445. *& seq.* (c) *Lib. XXXIII. Cap. III. Tom. cit. col.* 465. *B.*

tur, errores ac mendacia sua secundum eos se scripsisse mentiti sunt, ita Faustus. Ut ergo Manichæorum error fuit asserere oracula Salvatoris, Evangelistarum, & Apostolorum fuisse a Judæis deflorata, ita Hieronymus hujusmodi inertiam exsufflat quum inquit: *cachinnum tenere non potero ut Salvator, & Evangelistæ, & Apostoli ita testimonia protulerint ut Judæi postea falsaturi erant*.

98. Hisce velim addas: cuine verisimile videtur, Hieronymum voluisse insibilare sententiam quam non modo Catholicorum chorus, sed ipsi quoque moderni Hæretici (*a*) accensent Justino, Irenæo, Tertulliano, Origeni, Athanasio, Eusebio, Chrysostomo, imo & ipsi Hieronymo? *cachinnum*, inquit, *tenere non potero*; est inquam credibile tam parvi fecisse judicium tot virorum & sui ipsius, ut nonnisi ludibrioso cachinno dignam agnoverit insectari? tantum igitur abest, eo loci de sententia quam nos tuemur Hieronymum differuisse, quantum distat ortus ab occidente; quum tanta reverentia præfatos, aliosque Ecclesiæ Proceres vir sanctissimus, & eruditissimus prosequebatur, ut si in illorum scriptis etiam vitium apertum invenisset, ad bonam partem semper referebat, ut ipsemet testatur (*b*) dicens: *fieri enim potest ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint*. Omni tandem exceptione quoad præsens sunt verba ejusdem Hieronymi, qui quippe causam inquirens cur in codicibus Hebraicis non inveniretur (*c*) particula *omnis* quam Apostolus (*d*) legit: *quod*, inquit, *magis est æxtimandum post passionem Christi, & in Hebræis, & in nostris codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum a Deo credimus*. Hieronymus itaque non modo tradit Hebræum esse defloratum, sed illius quoque est sententiæ qua æstima-

(a) *V. N. 8.* (b) *Lib. II. in Ruffinum Cap. IV. Tom. II. p.* 513. *C.*
(c) *Deut. Cap. XXI. v.* 23. (d) *Ad Galat. Cap. III. v.* 13.

matur a Judæis interpolatum fuisse post passionem Christi. Quis ergo probe censebit hanc eandem sententiam voluisse Hieronymum cachinno contemnere? Dicam plus ex superius dictis (a) satis liquet, Hebræum de mente Hieronymi fuisse a Judæis depravatum; si ita, ergo ad sententiam ejusdem Hieronymi, opus est adseramus, aut ante, aut post passionem Domini: porro conceptis verbis denegat primum Adamantii ratione fretus, quia nusquam Dominus & Apostoli hujusmodi crimen falsi siluissent &c. secundum itaque pro comperto habuit. Utinam & ista critici nostri sedulò perpendissent, quia neutiquam allegato Hieronymiano testimonio nostræ sententiæ insultarent.

99. Quod si cui scrupulus commovetur, magis nostram quam oppositam sententiam convenire cum ea, quam Hieronymus, & Augustinus acriter execrabantur, respondeo, tametsi vocetenus ita videatur esse, re tamen potius sententia adversa suo modo illam hæresim extumulat. Eo nos sane sensu affirmamus Hebræos codices sicut, & Septuaginta circa initium secundi Seculi fuisse a Judæis in quibusdam corruptos, ut licet nullus codex immunis evaserit qui vel immediate, vel mediate non fuerit temeratus a Rabbinis, tamen integrum adserimus semper conservatum, & custoditum fuisse Dei verbum scriptum, etiam quoad minimum apiculum, in ipsa omnia codicum biblicorum collectione, & universitate; ex quibus postea codicibus Hieronymus, omni disciplinarum genere perpolitus improbis laboribus, & sub peculiari Spiritus Sancti assistentia adhibita illorum codicum exacta collatione, eruit suam editionem complectendo in uno solo codice sincerum, atque integrum ex omni parte Dei verbum scriptum: quo quoque Divina protegente gratia hodie potimur in Vulgata, quam Concilium Tridentinum suo calculo consecravit, & sub Pontificibus Sixto V., & Clemente VIII. Romana Sedes a mendis irreptis castigavit.

100.

(a) *N. 21. & seqq.*

100. At Hæretici nostri temporis licet penes corticem videantur faciliori methodo tueri integritatem Scripturarum, quippe qui affirmant hodiernos fontes haud Judæorum malitia violatos, fuisse, & illud idem Dei verbum apud nos hodie esse quod sacris Scriptoribus Deus inspiravit; tamen si medulla hujus sententiæ percontabimur, eam, ni fallor, integritatem Scripturam quam una manu palam largiterque tribuunt hodiernæ Ecclesiæ Christi, latenter, atque versutissimo dolo altera manu surripiunt. Forte non ipsi fatentur, omnia penitus hodierna exemplaria tam fontium, quàm versionum in rebus tantùm fidei, & morum immunia esse a quacumque corruptione, quoad cætera vero vitia, pro fato omnium librorum contraxisse? & si verum est hoc, quis vel micam rationis habens non deprehendit Ecclesiam Christi, juxta placitum Hæreticorum, aliam hodie integritatem Scripturarum non possidere, nisi tantùm quoad ea, quæ fidem, moresque concernunt, quoad cætera verò jam misere perdidisse? dicam plus. Si per ipsos tam hodierni fontes quàm Vulgata Latina in rebus fidei, & morum integra sunt atque sincera, cur postea in decidendis controversiis hujus generis recusant, & abnegant adhærere lectioni Vulgatæ, sed una voce conclamantes ad fontes provocant? & si omnia exemplaria fontium in rebus fidei, & morum limpide fluunt, qua lege postea in quæstionibus hujus generis se opponunt lectioni illorum exemplariorum Hebraicorum, Græcorumve, quam fidei ingenua proferunt Romani Doctores? Quis, repetam, vel modicum eruditus hisce sedulò perpensis, adcurateque libratis non videt Hæreticos hodiernos, eo rerum criterio tueri integritatem Scripturarum quod unice conducit ad extumulandam hæresim, in quam olim Hieronymus per ludibrium cachinno invectus est? Non ignoro subterfugium illud, quo præsidio regularum sacræ critices se jactitant invenire quamlibet minimam Divinarum Scripturarum

lectionem; sed quoniam suum locum huic cavillo refellendo reservamus, ad reliqua quæ huc spectant festinat oratio.

101. Instabis: Hieronymus sæpissime Hebræum Textum exornat epithetis quæ manifeste ostendunt suo saltem tempore integritatem, & puritatem spirasse. Interdum enim vocat *authenticum*, (a) interdum conceptis verbis appellat *Hebraicam veritatem*, sicut ejusdem sunt labii PP. tam Græci, quàm Latini, Origenes, Procopius, Augustinus, Beda, Albinus, Rabbanus, Anobardus, Claudius Taurinensis, Stephanus Cistercienfis, & alii innumeri his recentiores: quod utique incassum ivisset si Hebræus Textus corruptelis scateret.

102. Respondeo *authenticum* utique & *Hebraicam veritatem* Hieronymus, aliique PP. interdum vocant Hebræum Textum, at non eo sensu quo ipsis curæ foret ostendere nullis penitus corruptelis esse obnoxium, sed quoad ea duntaxat loca, in quibus majorem sinceritatem, & puritatem spirabat Hebræus quàm versio Septuaginta, & Itala. Quare ut ipse lubentissime fateor, Hebræum Textum Hieronymiano tempore meritò appellari *authenticum* & *Hebraicam veritatem* relate ex. gr. ad quinque oracula *Ex Ægypto vocavi* &c. (b) & alia consimilia quæ in Hebræo tantùm Hieronymus reperiit; ita nullum æquum cordatum virum inveniri arbitror, qui contendat Hieronymiano tempore Hebræum *authenticum* esse, & jure insigniri nomine *Hebraicæ veritatis*, respectu illarum corruptelarum quas in eo reperisse testantur Justinus, Tertullianus, Origenes, ipse Hieronymus, aliique veteres. Quid quod si credimus Joanni Martianæo, *Hebraica veritas*, inquit (c) *apud Hieronymum semper accipitur pro canonicis Hebræorum scripturis, idest pro iis solis, quæ leguntur in fonte Hebraico*; at ex eodem Hiero-

(a) *Epistola* CXXXII. *ad Vitalem*. *Epistola* CXXXV. *ad Suniam & Fretelam. Lib. XVII. Comment. in Isaiam*. (b) *V. N.* 71. (c) *in Bibliotheca S. Hieronymi Proleg.* III. §. II. *Tom. I. col.* 30.

ronymo constat in eos quoque libros, qui in canone Hebræorum leguntur, interpolationes irrepsisse. (*a*)

AUGUSTINUS.

103. Celebris est atque constans Patrum assertio, potissimum Augustini; idcirco Deum dispersisse Judæos per universum Orbem, ubi propagata est Ecclesia, ut sacros codices ubique deferrent, & per suas Scripturas nobis Christianis testimonio essent. ***Si enim***, inquit (*b*) ***cum illo testimonio Scripturarum in sua tantummodo terra non ubique essent***, (Judæi) ***profecto Ecclesia, quæ ubique est, Prophetiarum, quæ de Christo promissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset***. Item (*c*) ***præterea adhuc Judæi sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas litteras. Et ne forte dicant . . . . . quia nos illas Christiani composuimus . . . . . . eos convincimus, quia omnes ipsæ litteræ quibus Christus prophetatus est apud Judæos sunt; omnes ipsas litteras habent Judæi. Proferimus codices ab inimicis ut confundamus alios inimicos***. Hoc ipsum inculcaverat in commentario psalmi præcedentis, aliisque in locis. In hipothesi autem quod Judæorum codices turbide fluerent, evanescerent profecto præfata momenta Augustini, tunc sane Gentiles reponerent: vobis Christianis testibus corruptionibus scatent litteræ Judæorum, & hisce igitur deneganda fides; illius itaque opinionis oportuit esse Augustinus, qua tuetur Hebraicos codices haud fuisse turbatos.

104. *Respond.* Vim profecto gravissimam ex laudatis Augustini testimoniis illatum Adversariorum haberet, si nobis decretum esset tueri, omnia penitus quæ in Hebræo Christum sonabant, Judæos ex omnibus codicibus sustulisse. Stul-

(a) *V.N.21.& seq.* (b) *Lib.xv.de Civ.Dei Cap.*XLVI. (c) *In Psal.*LIX.

torum est, quum unum vitium vitant statim ad contrarium currere, & Hæreticorum, quum veritatem non valent ex uno extremo expugnare, aggredi nituntur per extremum oppositum; atque ita in hoc prærupto negotio, si qua intelligentia valeo, æque mihi videntur lædere veritatem illi, quibus defendere arridet nullum penitus Christi oraculum fuisse a Judæis in suis codicibus malitiose constupratum; ac qui ex diametro omnia Christi oracula a suis codibus, Judæos expunxisse contendunt. Infirmtatem primi satis demonstrasse reor (*a*) Circa secundum satis habeo dicere, veteres Patres haud hujusmodi corruptionis generalis omnium oraculorum Christi in Hebræo Textu contentorum, vestigium aliquod reliquisse: & si fidem habemus hodierno Hebræo, neminem probatum eruditum comperio, qui testetur allegatam corruptionem, quin omnes fere auctores ceu nocturnam imaginem minime vocent in censum. Itaque si Judæi nonnulla tantum Christi vaticinia valuerunt ex suis codicibus delere, haud Patrum adsertio testimoniis Augustini deprompta nostræ sententiæ refragatur, ut potius de per- [illegible] quæ in Hebræo inveniuntur bene verificatur, & [illegible] Judæi per suas Scripturas fuerint & sint nobis te- [illegible]monio, & quod portent libros nostros ad confusionem suam, & tandem quod confundere valeamus Paganos, dum proferimus codices Judæorum. Audi Antonium Casinum qui pari veritatis zelo tuetur turbidum fluxum hodiernorum fontium. *Et nobis*, inquit (*b*) *& Hebræis ipsis ita prospexit Deus*, *ut abunde ibi* (in Hebraicis apographis) *sit eorum locorum*, *quibus facile possint redargui*, *& aut nobis adjungi*, *aut a nobis repelli*. Velim insuper notes haud certe, & secure nobis constare, Augustinum per litteras Judæorum unice Hebræum intellexisse, & non etiam versionem Septuaginta; quoniam ut probatum ibimus

(a) §. II. III. & IV. *hujus Cap.* (b) *In Encyclop. proleg.* I. *Disput.* *III. p.* 29. *col.* I.

mus (*a*) Judæos & ante, & multo post Christi tempora in publicis, & privatis lectionibus nonnisi versionis Septuaginta habuisse usum : quum ergo quæ in Hebræo expuncta, saltem in aliquibus codicibus hujus versionis relicta fuerunt, quoque de versione Septuaginta sententiæ Aquilini Doctoris verificantur.

105. Frustra igitur refrico Hieronymianam phrasim (*b*) multa Christi oracula tulerunt Judæi ex codicibus suis ne viderentur esse pertinaces, Messiam Servatorem nostrum Jesum non recipientes, sed tradentes, & negantes ante faciem Pilati; quoniam multò plura in suis litteris extiterunt, & extant quæ præclare Jesum Christum sonant. Nec mirum: hæc namque semper fuit, justo Dei judicio, cæca impudentia pervicacium Judæorum, nimirum, turpi & languida inertia egregios triumpos Jesu Christi fauciare. Quemne lapidem non moverunt iniqui, ut triumphum resurrectionis Christi infuscarent, ac obducerent? *pecuniam copiosam*, refert Matthæus, (*c*) *dederunt militibus, dicentes: dicite, quia Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus*. Quot ineptias bone Deus! quotve sollemnes ignavias hìc obcæcati adunarunt! *O infelix astutia!* merito Augustinus mirabatur (*d*) *tantumne deseris lucem consilii pietatis, & in profunda versutia demergeris ut hoc dicas:* Dicite, quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, & abstulerunt eum? *Dormientes testes adhibes, vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti*. Quod perinde est; si custodes dormiebant, qua lege poterant testari fuisse Christi corpus sublatum a discipulis? ita in casu Judæi propria malitia excæcati, non agnoverunt, quàm inutiliter nonnulla Christi testimonia in veteri testamento deflorarunt, quum alia sole splendidiora in iisdem codicibus ipsi portent, suæ pariter portantes per-

(a) *Num.*183. (b) *Consignatam num.*22. (c) *Cap.*XXVIII.*v.*12., & 18.
(d) *In Psal.* LXIII. *v.* 9. *Tom. IV. col.* 624. *D.*

pervicaciæ tesseram: atque ita, & ultimum argumentum occupatum manet, quia tametsi asseramus Hebræos codices interpolatos, ut tamen in multò pluribus integritatem spirant, ita per sententiam nostram nullus subterfugiendi relinquitur Gentilibus facilis aditus.

106. *Instabis*: Augustinus differens de discordantia quæ in enumerandis annis Patriarcharum, Textum inter Hebræum interest & versionem Septuaginta, tenet, haud hujusmodi differentiam oriri ex codicibus Hebræis; & rationem suppeditat dicens: *Incredibile est (a) Judæorum gentem tam longe lateque diffusam uno consilio conspirare potuisse in conscribendo mendacio, & dum alii invideant auctoritatem, sibi abstulisse veritatem* & post pauca concludit: *absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ, tantum potuisse credat in codicibus tam multis, & tam longe, lateque dispersis.*

207. *Respond. I.* Cum Salmerone (*b*) *Augustinus*, inquit *Linguam Hebræam non noverat, ut ipse aperte testatur Epistola* 131. *ad Memorium, ut posset judicium certum pronuntiare: & ibi etiam tantum erat sermo de annorum differentia inter Hebræos, & Græcos codices.*

108. *Respond. II.* Tametsi Augustinus ad oppositam sententiam proclivior fuerit, tamen ex integro ejus textu adcurate librato cuique fit perspectum, Aquilinum Doctorem neque sententiam nostram positive reprobasse, neque oppositam tradidisse assertive, sed tantùm opinative, & conditionate. Non quidem nostram positive rejicit, *primò* quia momenta referens eorum (*c*) qui tuebantur Judæos in suis codicibus quædam mutasse ut nostris minueretur auctoritas, penitus insoluta dimittit: *secundò* nullibi inficiatur, vel sanat corruptelas quas in Hebraicis exemplaribus extitisse notarunt Justinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hieronymus, aliique id genus

(a) *Lib.* xv. *de Civit. Dei Cap.* XIII. (b) *Proleg.* IV. *p.* 40. *col.* 2.
(c) *Lib.* xv. *de Civit. Dei Cap.* XI. *Tom. VII. col.* 390. *E. F.*

genus multi: *tertiò* conceptis verbis facultatem relinquit suis lectoribus amplectendi opinionem de turbido fluxu Hebræi textus: *hanc opinionem*, subdit loco cit., *vel suspicionem accipiat quisque ut putaverit*.

109. Quod verò oppositam sententiam non assertive, sed opinative dumtaxat, ac conditionate protulerit, opus est in antecessum ponamus: S. Doctorem (a) pro secunda vice excitare eam quæstionem, de qua sermonem fecerat præcedente Capite undecimo, unde scilicet oriatur discrepantia inter Hebræum Textum ex una parte, & Versionem Septuaginta cum Itala ex altera parte, circa annos Mathusalem; namque etsi ista concordent quoad annos 969. vitæ Mathusalem, discordant tamen in describendo annum quo Mathusalem genuit Lamech, & hic genuit Noe; ex quo postea juxta Hebræum deprehenditur, quod Mathusalem eo anno obierit in quem incidit Diluvium; ad fidem vero versionis Septuaginta, & Italæ cernitur Mathusalem non explevisse anno diluvii præfatos annos vitæ suæ; quod pro faciliori caput tabulam suppedito.

T A B U L A.

110. Complectens discrepantiam annorum Mathusalem inter Hebræum, & Versionem Septuaginta.

	Hebræus	Septuaginta
Mathusalem genuit Lamech annos natus.	187.	167.
Lamech genuit Noe ætatis suæ.	182.	188.
Diluvium accidit anno vitæ Noe.	600.	600.
Summa annorum Mathusalem in anno diluvii.	969.	955.

Jam vides Mathusalem juxta Hebræos obiisse anno diluvii, quia hoc tempore ex Hebræo infertur complevisse universum vitæ suæ tempus 969. Secundum vero Setuaginta Mathusalem anno diluvii habere annos 955. sicque morte lumina clausisse, quatuordecim annis post diluvium,

(a) *Lib.* XV. *de Civit. Dei Cap.* XIII.

vium, ut nimirum expleretur cursus annorum *969.* ut in sequenti additione.

955.
adde *14.*

Summa *969.*

111. Hanc igitur discrepantiam Augustinus animadvertens, (*a*) & probe pariter noscens, non aliter accidere potuisse nisi per corruptelas irreptas aut in Hebræo fonte, aut in versione Septuaginta, & de consequenti ad Italam ex Septuaginta expressam, transfusas: *Ubi*, sic pergit (*b*) *si quæram, quid sit credibilius, Judæorum gentem tam longe, lateque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse, & dum aliis invident auctoritatem, sibi abstulisse veritatem, an Septuaginta homines, qui etiam ipsi Judæi erant, in uno loco positos, quoniam Rex Ægypti Ptolomæus eos ad hoc opus adsciverat, ipsam veritatem gentibus alienigenis invidisse, & communicato istud fecisse consilio: quis non videat quid proclivius, faciliusque credatur? Sed absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantum potuisse credat in codicibus tam multis & tam longe lateque dispersis; vel Septuaginta illos memorabiles viros hoc de invidenda gentibus veritate unum communicasse consilium. Credibilius ergo quis dixerit, cum primùm de bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in codice uno, scilicet primitus inde descripto, unde jam latius emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam scriptoris error.*

112. Quibus vides *primò* Augustinum non differere de puritate, aut corruptione Hebræi textus relate ad totam Bibliam veteris Testamenti, & potissimum quoad ea quæ concernunt prædictiones Servatoris nostri; sed de annis tantum Patriarcharum; *secundò* non inquirit absolute utrum præfata discrepantia orta sit ex vitio irrepto in He

(a) *Cap.* XI. *cit. col.* 390. *B. C. D.* (b) *Cap.* XIII. *col.* 392. *E.*

Hebræo, vel in versione Septuaginta, sed sciscitatur *quid sit credibilius?* & rursus, *quis non videat quid proclivius faciliusque credatur?* & tandem, *credibilius ergo quis dixerit*: annon hujuscemodi loquendi formulæ perspicuo sunt argumento, Augustinum non quod adsereret, sed quid de integritate Hebræi textus opinatus fuerit, tradidisse?

113. Dixi tandem conditionate Augustinum adhæsisse adversæ sententiæ, quandoquidem ea tantum lege scribit: absit ut prudens quispiam credat Judæos potuisse conspirare in conscribendo mendacio super annis Patriarcharum, si nimirum existimetur de consequenti, vitium irrepsisse in versione Septuaginta defectu scriptoris, qui de bibliotheca Ptolomæi codicem describendum primus accepit; quare post pauca repetit eo loci; *Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium in codicibus Græcis & Latinis, aliter in Hebræis .... nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ vel prudentiæ Septuaginta Interpretum, sed scriptoris tribuatur errori, qui de bibliotheca supradicti Regis codicem describendum primus accepit;* itaque in hipothesi quod ostendatur hujusmodi conjecturam exiguam esse ac non levi infirmitate laborare, reor, Augustinum de opinativo refragatore nostrum absolute evadere suffragatorem. Et sane vide quomodo rem totam explicit: *sed quomodolibet*, inquit (a) *istud accipiatur, sive credatur ita esse factum, sive non credatur; sive postremò ita, sive non ita sit*, nihil igitur solidi præfatæ conjecturæ ipse quoque Augustinus inesse existimavit. Addam & alterum: Augustinus pro explorato tenet ante adventum Domini, neque Hæbræum, neque versionem Septuaginta vitiata fuisse; (b) porro compertum quoque est versionem Septuaginta ante, & Christi temporibus publice in synagogis lectitatam (c) hæc igitur aperte jugulant præfatam conjecturam, de vitiis irrepsis in versione Septuaginta defectu primi exscriptoris.

X Quod

(a) *Sub finem citati capitis*. (b) *V. Num.* 19. (c) *V. Num.* 183.

Quod si tandem oppones, momentum quo nititur testimonium Augustini, nempe, incredibile esse Judæorum gentem tam longe lateque diffusam uno consilio conspirare potuisse in conscribendo mendacio in tot codicibus ubique gentium dispersis, opportunius edisseram infra. (*a*)

§. VII.

Refelluntur objecta a ratione petita:

PRIMUM.

114. Si Judæi corrupissent Hebræum Textum haud dubie id accidisset vel ante adventum Domini, vel post & ante Hieronymum, vel tandem post obitum Hieronymi, potissimum in Tiberiade urbe Palæstinæ a Masorethis circa annum 478. vel 480.; at qui tuentur corruptionem Hebræi, hoc in prærupto negotio quàm longe dissentiunt propter graves difficultates, quibus quivis modus dicendi occurrit; ergo &c.

115. Respond. 1. non semper incertitudo temporis argumento est inferendi factum aliquod non accidisse. Quamquam eruditi graviter disputent de tempore quo diluvium totum orbem inundavit, quo versio Septuaginta confecta fuit, quo in terra apparuit humanitas Unigeniti Dei filii, quo tandem, ut alia missa faciam, Hebræo Textui puncta accesserunt; quis heinc audebit in dubium revocare aut flagellum diluvii, aut existentiam Incarnationis, vel versionis Septuaginta, vel punctorum in Hebræo Textu? Et ipse fateor, eruditos non convenire in constituendo uno determinato tempore corruptionis Hebræi; at quod semper ea prævaluerit opinio qua asseritur, accidisse temerationes tum Hebraicorum codicum, tum Septuaginta ante tempora Hieronymi haud ambigen-

dum

(a) *Num.* 137. *& seqq.*

dum venit ; qua de caufa ut cuique fatius perfpectum fiat paucis expediam.

116. Quod ab ipfo Scripturarum exordio ad ufque adventum Domini, & prædicationem Apoftolorum ab omni erroris nævo immunes extiterint Hebræorum litteræ graviter probat Hieronymus, quia Dominus & Apoftoli de hujufmodi crimine haud dubie Judæos objurgaffent. (*a*) Præterea Hieronymo præiverunt Juftinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, aliique Patres, qui communi calculo nonnullas corruptelas Hebræi Textus unice tribuunt verfutæ fraudi Judæorum, ingenti odio habentium Chriftianam fidem ; & forte Auguftinus hæc animo revolvens, *Illi*, inquit (*b*) *autem anteriores* puta Judæi qui fuerunt ante adventum Chrifti *cur hoc facere voluerint* nempe Hebræum, vel verfionem Septuaginta temerare *non invenio*. Et quoniam Riccardus Simonius (*c*) afferit Hebræum ante babilonicam captivitatem vitiis fcatuiffe, nec exempla, (*d*) unde Septuaginta Seniores fuam verfionem haufèrunt fuiffe innoxia, merito Honoratus a S. Maria (*e*) eum carpit utens Hieronymi cardine *Si jam tum*, inquit, *corruptus adeo erat Textus Hebraicus*, *quare numquam filius Dei Judæos*, *&* *Scribas de focordia in fanctis litteris fervandis reprehendit? contra verò ad libros illos confultum mittit*: fcrutamini fcripturas; rationibus igitur & PP. calculo claret ab ipfo fcripturarum exordio ad ufque adventum Domini, & prædicationem Apoftolorum fincere, & limpide fluxiffe Bibliorum codices.

117. Quod neque ftatim & immediate poft prædicationem Apoftolorum Judæi in facris codicibus corruptelas injecerint eadem claritate affulget *primò* teftimonio Jofephi qui juxta Bellarminum (*f*) fcribebat libros antiqui-

(a) *V. N.* 93. (b) *epift.* LXXXIII, *alias* XIX. *ad Hieronymum Cap.* v. *Tom. II. col.* 203. *A.* (c) *Lib. I. hift. crit. vet. Teft. Cap. III.*

(d) *Lib. I. hift. cit. Cap.* XVI. (e) *Animadverf. in Regu. & ufum Crit. Differt.* v. *art.* IV. *Tom. I. p.* 418. (f) *de Script. Ecclefiaft. p.* 14. *col.* 2. C.

tatum Judæorum anno principatus Domitiani Cæsaris tertiodecimo, Christi 93., ætatis vero suæ 56.; quique zelantissimam rationem sacrorum codicum, quam suo tempore gens sua habebat describens : *quanta*, inquit (*a*) *veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Cum enim tot jam secula exfluxerint, nemo adhuc nec adjicere quicquam illis, nec demere, nec commutare ausus fuit. Sed omnibus nobis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei ut hæc esse præcepta credamus: iisdemque constanter adhærescamus, & eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus. Tertiò* quia post prædicationem Apostolicam quamvis celebrem vitam duxerint sacri Scriptores Hermon sive Hermes, qui elucubravit librum, quem inscripsit *Pastorem*, Prochorus, S. Linus, S. Clemens Romanus, S. Ignatius, S. Polycarpus, S. Dionysius Areopagita, S. Martialis, Abdias Babylonius, Presbyteri & Diaconi Achajæ, nullum tamen anterioribus nostris in suis operibus vestigium reliquerunt corruptionis Bibliorum. Et e contra S. Justinum invenio qui primus de scelere corruptionis Hebræi Textus, & Septuaginta Rabbinos Judæorum accusat, (*b*) quique respectu præfatorum auctorum paulo longius post prædicationem Apostolorum vixit; namque juxta citatum Bellarminum (*c*) floruit suis scriptis circa annum 150. a Christi nativitate, & pro Christi fide mortem oppetiit anno 163. Ex quibus eruitur Rabbinos Judæorum in Bibliorum codicibus nonnullas corruptelas, in odium Christianorum apposuisse, paulo longe post prædicationem Apostolorum, sive circa initium secundi seculi, & post assumptionem Apostolorum omnium, quorum Joannes fuit ultimus, quippe qui ad superos evolavit circa annum a Christo nato 101.

118.

(a) *teste Eusebio Lib. III. hist. Ecclesiast. Cap.* x. *apud Frassen disquis. Biblic. Lib. II. Cap.* VI. *p.* 325. (b) *V. N.* 12. (c) *pag.* 32. *col.* 1. *D.*

118. Et sane tametsi Judæi a die Pentecostes, in quo effuso super discipulos Spiritu Sancto, deprehenderint Christianam fidem evulgari, & altius in dies radices agere propter efficacissima momenta assumpta ex Hebræo, & ex versione Septuaginta; quæque Christi divinitatem quàm clarissime, & concorditer prænunciabant; quibusque nixi Apostoli cæterique discipuli suadebant Judæos, & Gentiles ad recipiendum evangelium Christi, ut legitur Actorum II. IV. VII. X. XIII. & alibi; haud tamen id valuit ab eorum animis statim, & præcipiti consilio removere zelantissimam observantiam, quæ erga sacros codices ipsis cordi erat. Quare optimum consilium hoc in rerum themate visum fuit Rabbinis, non aliud periclitari nisi armare linguas, calamosque stringere, in lucem prodendo distortas, & violentas interpretationes illorum oraculorum veteris Testamenti, quæ Christum clare sonabant; quibusque ab Apostolis Spiritu Sancto repletis, postmodum ab Apostolorum discipulis crebro de Christiana fide convincebantur. Quo molito, & multis annis experentia comperto, quod eventus spem fallebat, imo de suis fictitiis expositionibus palam objurgati, & eversi; sicque magis crucis misterio firmato, accedentibus quoque miraculis in confirmationem doctrinæ quam nostri Sanctissimi Proceres prædicabant, profecto, sicut hoc tempore infinita multitudo Judæorum ubique terrarum dispersa ad lavacrum baptismi religiose accessit, & Rabbinorum quæstus, (a) redditus, & tributa magis defecerunt, hoc pariter tempore viam fecerunt feminæ iræ, ac pervicaciæ suæ tum Hebræa exemplaria, tum Septuaginta Seniorum sacrilege constuprando additionibus, detractionibus, transmutationibus. Huc sane spectant tot veterum testimonia quæ modo falsarum interpretationum, modo sceleris corruptelarum super oraculis veteris Testamenti Judæos passim criminantur; huc quoque asser-

(a) V. N. 34.

assertio Manichæorum quoad circumstantiam temporis, quam nec Hieronymus, nec Augustinus impugnarunt;(a) huc tandem verba Salmeronis (b) *a tempore*, inquit, *ergo Justini & Tertulliani cœperunt Judæi illi versioni* Septuaginta *opponere* ; *nam tunc Aquila* , *Symmachus*, *ac Theodotion orti sunt* , *qui in eo maxime laborabant* , *ut e Synagoga expellerent Septuaginta* . Ex qua re satis colligitur non adeo incertum esse tempus corruptionis Biblicorum codicum , quin potius non levia momenta suppetunt affirmandi , eam potissimum accidisse circa initium secundi seculi a Christo nato.

INSTABIS I.

119. Si ab initio secundi seculi Hebræus Textus quoad omnia exemplaria fuisset malitiose constupratus , plane Ecclesia Christi, ex eo jam tempore amisisset integritatem Scripturarum veteris testamenti; quo quid absurdius dici possit nemo non videt.

Respond. Fucum facit qui audet hujusmodi instantiam in medium proferre, ne dicam tabularum Ecclesiasticæ Historiæ se prodere imperitum. Quorsumne Christi Ecclesia in publicis lectionibus usa est Textu Hebræo , ut inde ex corruptione istius colligi valeat in Ecclesia carentia integritatis veteris Testamenti? Si curæ erit examinare quæ infra (c) ordiemur, cuique persuasum iri censeo, nuspiam Ecclesiam Christi in publicis lectionibus Hebræum adhibuisse, sed versionem Septuaginta in Oriente, versionem Latinam in Occidente; atque ita posita qualicumque Hebræi codicis temeratione nuspiam locus remanebit inferendi excogitatam tragœdiam.

120. *Urgebis:* sed te texte, & judice in sequentibus capitulis, etiam codices Græci & Latini turbide fluebant; ergo ante Hieronymi tempora Ecclesia tam Orientalis, quàm Occidentalis caruit integro Dei verbo scripto: quod aperte ad-

(a) *V. N.* 97. (b) *Prol eg. V. p.* 49. *col.* 1. (c) *Numero* 183.

adversatur PP.Tridentinis utroque pollice subsig nantibus (*a*) Sacras Scripturas a Spiritu Sancto dictatas, semper in Ecclesia Catholica continua successione conservatas fuisse.

Respond. Ecclesia Christi ante Hieronymi tempora caruit integro Dei verbo scripto penes quemlibet bibliacum codicem sive Hebraicum, sive Græcum, sive Latinum singulatim, & distributive acceptum, esto; penes omnes codices universim, & collective, abnegatur. Audiamus ægregium Sixtum Senensem consimili respondentem objecto (*b*) *Quod si*, inquit, *Hieronymus multa in ea* versione Latina veteri *errata deprehendit*, *atque correxit*, *non ob id consequens est*, *ut Ecclesia Latina ante Hieronymum nullam Veteris Testamenti veram*, *ac sinceram editionem habuerit*: *nam etsi nonnulla exemplaria olim fuerint corrupta*, *quæ postea Hieronymus correxit*, *non ideo sequitur*, *ut omnes*, *quotquot habuit Ecclesia codices*, *fuerint in universum*, *& ex toto corrupti*. *Et esto*, *etiam omnes in aliquibus fuerint corrupti*, *non tamen fieri potest*, *ut omnes simul iisdem in locis fuerint depravati*, *ita ut id in nullo exemplari integrum*, *& inviolatum permanserit*, *quod in multis exemplaribus esset vitiatum*, ... *colligimus itaque adversus Hæreticorum sententiam*, *quod quamquam Ecclesia in singulis seorsim codicibus sinceram*, *& integram Veteris Testamenti translationem non habuit*, *nunquam tamen in omnibus simul*, *& undique collectis exemplaribus exacta*, *absolutaque Veteris Testamenti translatione caruit*; *sed semper in ipsa generali codicum universitate*, *quod in uno atque alio codice corruptum fuit*, *id*, *ipsum in hoc vel in altero codice integrum*, *& incorruptum permansit*. *Ita Scripturarum codices protegente Deo*, *ne Ecclesia sua per aliquod tempus divinæ lectionis veritate fraudaretur*, *sed eum saltem in toto simul divinum codicum ambitu haberet*, *quam in singulis seorsum codicibus habere non poterat.* Hactenus Senensis.

121. Id-

(a) *Sess.* IV: *in decreto de Canonic. Script.* (b) *Lib. VIII. Bibliot. Sanct. p.* 1116.

121. Idipſum itero relative ad quod in præſentia urget, atque negotium faceſſit. Quamvis ante Hieronymi tempora corruptelæ irrepſerint in omnibus codicibus Bibliorum ſive Hebraicis, ſive Græcis, ſive Latinis, non ob id conſequens eſt, ut Eccleſia Chriſti ante Hieronymum caruerit integritate, & ſinceritate divini verbi: nam etſi omnia bibliaca exemplaria vitiis ſcatebant non ideo ſequitur, ut fuerint in univerſum, & ex toto corrupta. Et eſto etiam omnia in aliquibus locis turbide fluebant, non tamen iiſdem in locis omnia ita ſe habebant, taliter ut quoad locum illum vitiatum omnia exemplaria communicarent adinvicem, & nullus a corruptione illius loci immunis extaret. Colligimus itaque, quod ante Hieronymum quamvis Eccleſia in ſingulis ſeorſim Hebraicis, Græcis, atque Latinis ſincerum & integrum Dei verbum non habuerit, numquam tamen in omnibus ſimul, & undique collectis exemplaribus exacto abſolutoque Dei verbo vel aduſque minimum apiculum caruit; ſed ſemper in ipſa generali codicum Hebræorum, Græcorum, Latinorum univerſitate, quod in uno atque alio codice corruptum fuit, idipſum in hoc vel in altero codice integrum & incorruptum permanſit. Ut quivis autem vel exiguæ aciei rem faciliter aſſequatur, ſuppedito vulgare exemplum. Dentur mihi decem codices Vulgatæ Clementis, in quorum ſingulis deſint decem paginæ, hac tamen cum lege, quod in primo codice abſint decem paginæ incipiendo a prima uſque ad decimam; in ſecundo codice abſint aliæ decem incipiendo a decima uſque ad vigeſimam; in tertio deſint, incipiendo a vigeſima uſque ad trigeſimam; in quarto a trigeſima ad quadrageſimam; in quinto a quadrageſima ad quinquageſimam, & ſic de aliis, quiſne hoc in caſu non agnoſcet me in datis decem codicibus integram Vulgatam habere, tametſi in nullo ſingulari codice integram habeam? ita Eccleſia ante Hieronymi tempus, licet in nullo uno codice

dice

dice integram ſcripturam habebat, talem tamen habebat in omnibus codicibus ſimul collectis.

122. Et quoniam præſens objectum adverſarii magni faciunt, operæ pretium eſt graviori momento reſtaurare reſponſum. Tria potiſſimum, ut ipſe vides, inhærens doctrinæ Senenſis faſſus ſum: *primum*, in omnibus codicibus Bibliorum ſive Hebraicorum, ſive Græcorum, ſive Latinorum, ante Hieronymum vitia irrepſiſſe: *ſecundum*, hujuſmodi codices haud in univerſum, & ex toto corruptos: *tertium*, non omnes iiſdem in locis turbide fluxiſſe. Quod in omnibus Hebraicis codicibus corruptelæ irrepſerint, affatim uſque huc demonſtraſſe reor, ſicut quod idem fatum incurrerint omnes codices Græci, & Latini, ſtudio veritatis tuendæ nobis in ſequentibus capitulis erit oneri enucleare. Quod omnes Bibliorum codices ex parte tantùm, & non ex toto conſtuprationem ſubierint, ſatis ſuperius depromptum tenes (*a*). Quod tandem omnes codices non iiſdem in locis paſſi ſint corruptelas tam indubium mihi videtur, ut nonniſi qui utroque oculo caret valebit ire inficias: namque licet ab omnibus Hebraicis codicibus abſint ea ſcripturarum teſtimonia, de quibus mentionem fecimus antea, (*b*) ſicut, & hæc alia (*c*) *egrediamur foras* (*d*) *nequaquam ita fiet* (*e*) particula negativa *egrediebatur & non revertebatur*. Job (*f*) *Sicut Domino placuit ita factum eſt*, & conſimilia (quorum canonicitatem late, Deo bene juvante in decurſu ſecundæ, & tertiæ demonſtrationis) minime tamen iſta abfuerunt a permultis codicibus verſionum Græcæ Latinæ, Samaritanæ, Syriacæ, vel Chaldaicæ: & contrà Hieronymus ſæpe teſtatur in ſolo Hebræo reperiiſſe, & adjumento ſolius Hebræi reſtituiſſe nonnulla, quæ a codicibus Verſionum exciſa jam erant.

 (*a*) Quid

(a) *V. N.* 104. (b) *N.* 12. 21. 22. 61. 62. *& alibi*.
(c) *Geneſeos* IV. v. 8. (d) *verſu* 15. (e) *Geneſeos* VIII. v. 7.
(f) I. v. 21.

(*a*) Quid dicam postea de vitiis quæ vel in solis codicibus Latinis, vel solis Græcis, vel tantum in Hebraicis; & interdum in omnibus exemplaribus unius generis, interdum aliquibus, conspiciebantur? consule dicenda respectu novi Testamenti (*b*); hujuscemodi profecto peculiaria vitia singulorum codicum impulerunt Hieronymum ad novam editionem edendam : & quoque in hoc excelluit egregius labor illius, quum scilicet ex omnibus vitiatis exemplaribus exacto criterio, & sub speciali Spiritus Sancti assistentia adinvicem, collatis, hausit legitimum, integrumque Dei verbum, atque in solo suo codice quàm emendatissime restituit, & complexus fuit.

123. Quod hisce tandem haud obstet præclarum testimonium PP. Tridentinorum asserentium, Scripturas a Spiritu Sancto dictatas, semper in Ecclesia Catholica continua successione conservatas fuisse, lubet provocare ad cordatiores adversarios; qui licet nobiscum concinant, semper in Christi Ecclesia fuisse integritatem scripturarum, tamen nec hodie volunt agnoscere codicem unum ab omnibus mendis expolitum; siquidem nec & illi codici parcunt quem Hieronymus laboribus improbis, & sub Spiritus Sancti præsidium in consummatione edidit, quem Concilium Tridentinum suo calculo probavit, quemque Romana Sedes summis curis a mendis irreptis perpolivit. Et heinc incidenter nota, quomodo hoc suo systemate abnegent amplum illud præclarumque beneficium quod Pater misericordiarum, totiusque consolationis immaculatæ suæ sponsæ in tesseram perfectissimi amoris ter largitus est; *primò* per Hieronymum, *secondò* per Concilium Tridentinum, *tertiò* per Sanctam Romanam Ecclesiam sub Sixto V. & Clemente VIII. taliter ut Romana Ecclesia, ubi primitus integritate scripturarum potiebatur tantùm in tota collectione biblicorum codicum, hisce nostris temporibus divina opitulante providentia solo

(a) *V. N.* 71. (b) *n.* 152.

lo bibliaco codice Clementino, ceu manna omni ex latere integrum saporem cæleſtium gratiarum complectente, quaſi genitos infantes facilius, feliciuſque Catholicos filios lactat, nutrit, adolet, tuetur; hoc, inquam, regale prætioſumque beneficium mentiuntur qui prurigine tuendi intregritatem hodierni Hebræi, in multis diſcordantis a Vulgata, de conſequenti fatentur, neque hodie Eccleſiam in uno codice integram ſcripturam poſſidere, ſed ut olim in pluribus codicibus, atque in rebus tantum fidei et morum: verùm quàm ſuſpecta ſit hujuſmodi doctrina relate ad hodiernos fontes pro meo qualicumque criterio deprompſi. (*a*) De omnimoda verò integritate Vulgatæ Clementis in poſterioribus Demonſtrationibus inſtituetur ſermo.

INSTABIS II.

124. Si ante Hieronymi tempora Hebræus fons corruptus fuiſſet procul dubio corruptelæ iſtius in Hieronymianam verſionem fuiſſent transfuſæ; atqui id aſſerere minime decet virum Catholicum, quàm maxime in ſententia qua tenes, Concilium Tridentinum non aliam Vulgatam ſuo calculo probaſſe niſi Hieronymianam verſionem; quomodo enim in hoc caſu Concilium non probaviſſet corruptelas, quas Hieronymus ex corrupto Hebræo in ſuam verſionem tranſtuliſſet? Sequela majoris oſtenditur ex Waltono ita ſcribente: (*b*) *Hieronymus ſæpe profitetur, ſe ſecundum Hebraicam veritatem tranſtuliſſe ... Proleg. Galeat. dicit quod ſibi omnino conſcius non ſit mutaſſe ſe quippiam de Hebraica veritate: Imo ad Judæos provocat, annon fideliter ex Hebræo verterit. Præfatione in Eſdram & Nehemiam ad Domnionem & Rogationum hæc habet:* quid interpretem laniant? interrogent Hebræos, & ipſis auctoribus, translationi meæ vel arrogent vel derogent fidem. *Idem Præfat. in Eſtheram ſic alloquitur Paulam & Euſtochium*: tenentes adhuc Hebraicum librum per ſingula ver-

(a) *N.* XXXVII. 76. *& ſeqq. &* 100. (b) *Proleg.* x. §. 9. *p.* 357. *col.* 2.

ba novam translationem aspicite, ut possitis agnoscere me nihil etiam augmentando, addendo, sed fideli testimonio simpliciter sicut in Hebræo habetur, historiam Hebraicam Latinæ Linguæ tradidisse. *Videmus Hieronymum fidenter suam in vertendo fidelitatem asserere, & quod Hebræum Textum accurate exprimeret*; & consequenter statuta corruptione Hebræi Textus ante Hieronymi ætatem, inevitabiliter istius quoque versio corruptelis scatet: annon ex turbato cænoso fonte rivulus pollutus fluit? Hoc sane est momentum illud quod, patre Dominico Gravina teste, (a) nonnullos viros Catholicos excitavit, & impulit ad defensandam puritatem Hebræi Textus.

125. Respondeo distinguendo sequel. majorem. Corruptelæ Hebræi fontis fuissent in Hieronymiana versione transfusæ, modo Hieronymus secutus fuisset solum Hebræum codicem, qui suo tempore circumferebatur, hunc nimirum unice consulendo, semperque de verbo ad verbum Latino sermone exprimendo concedo sequel.; modo Hieronymus longe aliter se gesserit nego sequel. Satis superque eruditissimus ac sanctissimus Ecclesiæ Magister in apricum ponit methodum, quam in sua adornanda nova versione Veteris Testamenti ex Hebræo constanter servavit; quæ ut innotescat sedulò nota.

126. *In primis* Hieronymum nusquam in sua concinnanda versione contentus fuit inspectione solius Hebræi Textus, sed perpensis quoque omnibus exemplaribus tum Hebræorum, tum Græcorum, tum Latinorum quos habebat in celebri bibliotheca summis curis, & non parvo dispendio sibi confecta, necnon vigilanti studio adinvicem collatis, eam tandem lectionem unice seligebat quam ex antecedentibus, & consequentibus, & relative ad traditionem Apostolicam, & priorum Patrum eruebat præ cæteris concordare cum Hebræo, antequam scilicet fuisset a Judæis conspurcatus; *Operis mei est*, scribit (b) *& studii mul-*

(a) *V. N.* 7. (b) *Epistola* LXXV. *adversus Vigilantium Tom. II. p.* 605. *A.*

multos legere, ut ex plurimis diversos flores carpam, non tam probaturus omnia, quàm quæ bona sunt electurus, assumo multos in manus meas: ut a multis multa cognoscam, secundum illud quod scriptum est: omnia legentes, quæ bona sunt retinentes. Et alibi (*a*) refert, quomodo illud Psalmorum (*b*) *ego confirmavi columnas ejus* legebatur apud Septuaginta, quomodo apud Theodotionem, quomodo apud Symmachum, Aquilam, Quintam, & Sextam editionem, & Hebræum. Ut quid tot codices consulere si curæ sibi fuisset ea tantum consignare in sua versione quæ in Hebræorum codice continebantur? hæc dixi non animo asserendi Psalterium quo utimur esse illud quod Hieronymus ex Hebræo vertit, sed ut videas copiam codicum quos pro quolibet Scripturæ oraculo Hieronymus consulebat.

127. *Secundò* nuspiam adhæsit Hebræo ubi animadvertit vel truncatum, vel exundantem, vel immutationibus turbatum; iis enim in locis minime dubitavit Hieronymus Hebræo fonti præferre versiones. Specimina eorum quæ versionum adjumento consignavit in sua editione licet in Hebræo non haberentur, reperiuntur superius (*c*) Quæ ut exundantia omisit sunt illud (*d*) *possessio agri & speluncæ quæ est in eo ex filiis Heth* quod in Hebræo bis repetitur, nimirum v. 30. & 31. post hæc quæ in Vulgata habentur: *& ibi sepelivi Liam*. Illud Ruth (*e*) *ipse est vindex noster*. Illud (*f*) *annon ad vos*, quæ ut suo loco dicemus merito Hieronymum præteriit. Legesis pariter epistolam CXXXV. Hieronymi ad Suniam & Fretelam (*g*) Quis tandem valebit brevi sermone complecti tot loca quæ Hieronymus comperiit inversa, & permutata in Hebræo; ob idque alio filo orationis in sua editione expressit?

128.

[a] *Epistol.* CXXXIX. *ad Marcellam Tom. III. p.* 260. *E.*
[b] LXXIV. v. 4. [c] *N.* 10. 17. 18. 26. 122. [d] *Geneseos* XLIX.
[d] 11. v. 19. [f] *Threnorum* I. v. 12. [g] *Tom. III.* p. 745. *& sequen.*

128. *Tertiò* Hebræum quoque reliquit se coaptando Septuaginta Senioribus, ubi novit istos in sua Græca versione addidisse nonnulla vel ob decoris gratiam & Spiritus S. auctoritatem, vel ubi novit non multùm ab Hebræo puro discrepare. *Primam* agendi rationem tenuisse testatur Epistola CVIII. ad Domnionem & Rogatianum (a) dicens: *ubi verò* in hoc volumine *obelus*, *transversa scilicet virga posita est*: *illic signatur quid Septuaginta interpretes addiderint vel ob decoris gratiam*, *vel ob Spiritus Sancti auctoritatem*; *licet in Hebraicis voluminibus non legatur*. Secundam, Præfatione in Ecclesiasten (b) *de Hebræo*, inquit, *transferens magis me Septuaginta interpretum consuetudini coaptavi*: *in his duntaxat*, *quæ non multùm ab Hebraicis discrepabant*; His gemina habet Epistola CXXXV. ad Suniam, & Fretelam: (c) *ubicumque*, inquit, *sensus idem est*, *veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus*; *ne nimis novitate lectoris studium terremus*: & infra (d): *noluimus igitur immutare quod ab antiquis legebatur*, *quia idem sensus erat*.

129. *Quartò* neque filum orationis, verborumque ordinem Hebræi Textus in sua versione tenuit, ubi sic agendo occurrisset vitio quod opponeretur vel spirituali intellectui sacræ Scripturæ, vel gratiæ & venustati Latini sermonis; qua de re haud grato animo perferens prius vitium in Judæos qui plus æquo inhærebant Hebraico *Judææ*, ita religioso zelo fervens acriter perstringebat (e) *responde qui judaicam litteram sequeris? ... non interpretaris spiritualiter*, *sed carnaliter*; Utinam hodiernis Criticis Hebraistis fuisset cordi hujusmodi pulchrum eximii Sancti Doctoris; quoniam non ita licenter defecissent falso scrutinio errores in Vulgata Clementis scrutantes. Testatur quoque

[a] *Tom. III. p. 687. B. quæ est præfatio II. in Paralip.*
[b] *Tom. v. p. 1.* [c] *Tom. III. p. 747. H.* [d] *p. 749. H.*
[e] *Comment. in Psal.* XXXVI. *Tom. VII. p. 182. B.*

que vitasse posterius vitium, quum præfatione in Judith (*a*) scribit *huic unam lucubratiunculam dedi*, *magis sensum e sensu*, *quam ex verbo verbum transferens*; & quoniam ex hac interpretandi ratione Ruffinus aliique obtrectatores captarunt occasionem criminandi eum infidelis interpretis *cogor*, ita conceptis verbis Hieronymus se purgat (*b*) *per singulos scripturæ Divinæ libros adversariorum respondere maledictis*: *qui interpretationem meam*, *reprehensionem Septuaginta Interpretum criminantur* : *quasi non & apud Græcos Aquila*, *Symmachus*, *& Theodotio* , *vel verbum e verbo*, *vel sensum a sensu*, *vel ex utroque commixtum*, *& mediæ temperatum genus translationis expresserint*. Et Lib. de optimo genere interpretandi (*c*) magnum incommodum oriri probat ex interpretatione de verbo ad verbum ; *quanta enim*, inquit, *apud Græcos bene dicuntur*, *quæ si ad verbum transferamus*, *in Latino non resonant* : *& e regione quæ apud nos placent*, *si vertantur juxta ordinem apud illos displicebunt*? Item (*d*) *si cui non videtur linguæ gratiam in interpretatione mutari*, *Homerum ad verbum exprimat in Latinum*: *plus aliquid dicam*, *eundem in sua lingua prosæ verbis interpretetur*: *videbis ordinem ridiculum* , *& poetam eloquentissimum vix loquentem* : *verùm ne meorum scriptorum parva sit auctoritas*, *quamquam hoc probare voluerim*, *me semper ab adolescentia non verba* , *sed sententias transtulisse* . Hinc Simeon de Muis (*e*) ore rotundo asserit, hanc rationem interpretandi Hebræum de verbo ad verbum ineptam , atque inscitam ab omnibus semper habitam esse.

130. Quibus abunde eruitur Hieronymum testimoniis in argumento prolatis minime fateri voluisse , se taliter adhæsisse Hebræo, qui suo tempore circumferebatur, ut in sua versione unice eum secutus fuerit, semperque, & in

[a] *Tom. III. p. 689. C.* [b] *Præf. in Job Tom. III. p. 990. B.*
(c) *Epistola* CI. *ad Pammachium Tom. II. p. 665. B.* (d) *pag. 662. F.*
(e) *Præfat. in varia sacra apud Crit. sacr. Tom. VII. part. 1. p. 391.*

in omnibus locis de verbo ad verbum Latino sermone expresserit. Putas fortasse magnum virum adeo sui ipsius oblivisci, ut interdum affirmarit quod nuper & multò pluribus aliis locis, verbis, & facto abnegat? Hinc quum inquit in Prologo Galeato sibi omnino conscium non esse, mutasse se quippiam de Hebraica veritate, non loquitur generatim, sed duntaxat relate ad ea loca in quibus Hebræus codex fluebat sincerius, & purius quàm versio Græca, & Latina: ut exempli gratia, sunt illa ex *Ægypto vocavi filium meum* (*a*) quæ tantùm in Hebræis codicibus, & non in versionibus invenit: & quoniam Ruffinus aliique patroni versionis Septuaginta, & Italæ nolebant suscipere ista, & consimilia uti legitimum Dei verbum, dicentes, a Hieronymo fuisse addita, & in sua versione potius paraphrasten egisse quàm interpretem, idcirco sanctus Interpres respondebat, testans, non ex arbitrio posuisse hujusmodi lectiones in sua nova versione, sed quàm rationabiliter; ex eo quia eas invenit in Hebræo, & probavit pertinere ad verum legitimumque Dei verbum, ut quæ ab Apostolis & Evangelistis citatæ; & quod si aliquis sibi fidem non præstaret, poterat de veritate interrogare quemlibet Hebræorum, *& si nostra*, inquiebat, *firmaverit*, *puto quod eum non æstimes conjectorem*, *ut in eodem loco mecum similiter divinaverit*. Et revera Præfat. in Esdram & Nehemiam hoc unice sensu scripsit *quid interpretem laniant? interrogent Hebræos*, quia paulo ante retulerat multa quæ tantum in Hebræo jure extabant, & non in versionibus. Hac tandem lege fatetur Præfatione in Esther, se nihil addidisse, *sed fideli testimonio simpliciter sicut in Hebræo habetur*, *historiam Hebraicam Latinæ Linguæ tradidisse*, inquantum scilicet si aliquid addidit in sua versione quod in Græco, & Latino non reperiebatur, id unice fecit, quia

(a) *V. N.* 71.

quia quibusdam in locis majorem integritatem invenit in Hebræo, quam in versionibus.

131. Quod si Hieronymus iis tantùm in locis fideli testimonio simpliciter transtulit secundum Hebraicam veritatem ubi agnovit sincerius, puriusque versionibus fluere; & e contra ab eadem discessit quoties deprehendis scatere vitiis additionis, interpolationis, permutationis, vel Septuaginta adjecisse aliqua ob decoris gratiam, & auctoritatem Spiritus Sancti, aut non multùm discrepabant ab ea, vel tandem ubi se opponeret spirituali intellectui Scripturæ vel gratiæ latini sermonis, si inquam, ita est, pro meridiana luce constare videtur infirmam, atque distortissimam esse illationem, qua adversarii ex corruptione Hebræi subducunt corruptelas in Hieronymianam versionem: quasi quod egregius solitarius Bethlehemita, non alium laborem insumpserit in sua versione elucubranda quàm puri grammaticuli, qui exemplar sibi à pædagogo propositum majori qua potest fidelitate studet redolere sermoni altero, ne ferulæ manum subjiciat. Ut tandem occupatum relinquamus cavillum, quo quis exturbare posset exaratam doctrinam, nota, Hieronymianam versionem qua utimur, non ideo dici ex Hebræo expressam quasi ex solo Hebræo codice haustam, sed unice quia ubi cæteri Interpretes Latini ad fidem Græcorum codicum elucubrarunt suas editiones, Hieronymus autem iis tantùm exceptis locis, in quibus deprehendit Græcos, Latinosque codices majori integritate gaudere quàm Hebraici, vel continere aliqua ob decoris gratiam, & Spiritus Sancti auctoritatem a Septuaginta adjecta, vel non multùm discrepare ab Hebræo, hisce inquam exceptis locis cæterùm Hieronymus quàm fidelissime adhæsit Hebraicæ veritati sui temporis, modo scilicet interpretando verbum e verbo, modo sensum a sensu, modo interpretatione temperata ex utraque methodo commixta, idque ut in toto Bibliorum codice constanter, &

ſemper retineret exactiſſimam fidelitatem, ſpiritualem intellectum, Latini ſermonis gratiam ſimul & claritatem, quemadmodum perſpicuis Hieronymi teſtimoniis nuper prolatum eſt.

SECUNDUM OBJECTUM.

132. Si Hodiernus Hebræus corruptelis eſſet obnoxius, certe ipſum conſulere nedum opus non eſſet, ſed nec expediret, imo nec liceret, ne ſcilicet vitia illius captent mentes fidelium ad ſentiendum, verius eſſe quod in Hebræo, atque in Vulgata Clementis reperitur. Porro compertum eſt nedum Eccleſiæ Romanæ monito, ſed etiam præſcripto in omnibus Univerſitatibus & publicis Accademiis Catholicorum incumbendum fore Linguis orientalibus potiſſimum Hebraicæ, & Græcæ: ut in Clementina I. de Magiſtris Cap. unico, & in Conſtitut. LXV. Pauli V. *Apoſtolicæ ſervitutis &c.* Accedunt munificentiſſima ſtipendia, eximiæ dignitates, aliæque largæ mercedes, atque honores quibus Romani Pontifices, cæterique Miniſtri Eccleſiæ proſecuti ſunt, & proſequuntur qui in peritia orientalium Linguarum, relative ad rectam intelligentiam fontium, magnum ſibi nomen pepererunt; quorſum iſta ſi fontes hodierni turbide fluerent, & non præferrentur Vulgatæ?

Reſpond. Concedo ſequel. maj. ſi fiat ſermo de fidelibus indoctis, & imperitis, ut conſtat ex ſuperius allatis (a); ſi verò loquamur de viris doctis vita, pietateque probatis, fontes conſulere expedit, immo quibuſdam in caſibus neceſſum eſt. Expedit quidem propter ſequentes utilitates, quas probe notavit Canus (b) I. ut poſſint fideles qui eas linguas callent, vel ſaltem percipiunt facilius inſtrui ad fidem: II. ad accipiendos plures ſenſus catholicos ex eadem

(a) *V. N.* 90. (b) *De locis Theol. Cap.* XV. *p. 66.*, *& ſeq.*

dem scriptura; præsertim quum apud Græcos, & Hebræos est æquivoca; & Interpres unam solam vocabuli significationem reddere potuit. III. ad percipienda idiomata, phrases, & proverbia illarum Linguarum, sicut quoque vocabula Hebraica, vel Græca, quæ in Vulgata remanserunt. Tunc tandem non solum expedit sed quoque necessaria est peritia Linguarum, & inspectio fontium, quum agendum erit cum infidelibus, vel Hæreticis; cum infidelibus proferendo eis Hebræos codices, & his mediantibus illos confundere, ut acute anidmadvertit Augustinus laudatus: (*a*) cum Hæreticis retundendo eorum impudentem garrulitatem, & frivolas criminationes in quædam Vulgatæ loca, quæ Catholicis objiciunt. Compertum enim est quantùm de Linguarum peritia superbiunt, & quum noscunt doctorem aliquem Catholicum carere, statim insectanrur conviciorum palustris; heinc meritò scribit noster Marius de Calasio: (*b*) *Mos fuit semper Hæreticorum imperitis linguæ Hebraicæ illudere, & dum vel prima rudimenta delibarunt Hebræa, audacter se ingerunt, impudenter se immittentes Scripturis vertendis, & doctis aliorum translationibus corripiendis; quo fit, ut si desint qui Linguam hanc calleant, facile illi elatis collis tumescant, & vane se solos in hac re doctos, & ad veritatem sapientes, dum glorientur, simplices, & facilis credulitatis viros in devium deducant.*

134. Addunt nonnulli aliam utilitatem, sed proprius necessitatem, in quantum ex recursu ad fontes possumus Vulgatam corrigere a mendis irreptis librariorum vitio, & etiam (arbitrantur alii) a mendis Interpretis: verùm qui id proferunt relate ad menda Interpretis pascunt eurum; quoniam perperam supponunt in Vulgata veteri esse menda Interpretis. Recole dicta; (*c*) &

Z 2 quam-

(a) *N.*103. (b) *De Origine, Præstantia, & Utilitatem Heb. n.* 12.
(c) *In præfat.hujus operis* VI.VII.XV.*& latius in sequentibus demonstrationibus.*

quamvis ante Sixtum V.; & Clementem VIII. utilis, & necessaria profectò erat inspectio fontium ad emendandos errores petulantia sciolorum, vel typographorum oscitantia, vel etiam prout diximus cap. Prodr. (a) tamen nostris hisce temporibus quibus potimur Vulgata castigata a Sancta Sede, & exemplaria edita sub Clemente VIII. vigilanti custodia servantur in Bibliotheca Vaticana, in Casatensi supra Minervam Vaticana 1592. & 1598. In Monasterio S. Francisci trans Tyberim omnes tres, nimirum editio Vaticana 1592. 1593. & 1598. quo quidem thesauro quàm difficiliter, ut experientia comperui, ceteræ Bibliothecæ fruuntur, idcirco quoad hanc partem non amplius inspectio fontium nobis est opus; ut potius dicerem, illicita. *Si quæras*, inquit Casinus (b) *utrum Vulgatæ testimonium rejicere liceat in re levissima; respondeo, non licere: quemadmodum Scripturæ originalis testimonium rejicere simili in re aliquando non licuit*. Et paulo infra *vel enim adversarius rejici, aut corrigi posse vult in Vulgata ea, quæ sunt ab Interprete; id ne ipsa quidem Apostolica Sedes post Tridentini decretum a summo Pontifice confirmatum, licere sibi putavit. Vel rejici, aut corrigi posse vult in Vulgata, quæ sunt a Typographis, aut malis emendatoribus; hoc verò eadem Apostolica Sedes, quantum fieri potest, ac debet, ex Tridentini decreto jam fecit*. Et sane qui hodie ex inspectione fontium concludit vel levissimum mendum esse in Vulgata Clementis, aperte se opponit *primò* Patrum calculo, & rationibus depromentibus hodiernos fontes turbide fluere; *secundò* Romanis Correctoribus, qui vel minutissimum Vulgatæ locum exactiori criterio ad trutinam revocarunt; *tertiò* judicio Romanæ Sedis quæ testatur: (c) *porro in hac editione nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est*; tandem struit viam Hæreticis con-

(a) *N.* LIII. (b) *In Encyclopædis Sacræ Scripturæ Proleg. V. p. 79. col. 2.*
(c) *In Præfat. Vulg. Clem.*

contendentibus, in Vulgata Clementis adhuc superesse errores: quod si isthæc magnam, & irreligiosam præsumptionem non sapiunt, ubi reperiemus?

135. Ad Romanos Pontifices adversarii provocant, lubentissime ad eosdem veniam. Eò unice tendit scopus Clementis V. in Concilio Viennensi quum statuit, in studiis Romanæ Curiæ, Parisiensis, Oxoniensis, Bononiensis, & Salmantino debere esse Magistros Catholicos scholas regentes in Linguis Hebraica, Arabica, & Chaldæa, ut nimirum adjumento harum Linguarum haberetur congrua expositio divinæ Scripturæ, opportuna prædicatio divini Verbi, & ad Christianam fidem facilior conversio eorum qui præfatis Linguis loquuntur: *Non*, inquit (*a*) *ambigimus autem quin ad hujusmodi nostrum desiderium assequendum divinorum eloquiorum sit expositio congrua, ipsorumque fidelis prædicatio admodum opportuna;* Et memorato facto Christi Domini qui Apostolos ituros per universum mundum ad evangelizandum voluit in omni Linguarum genere fore eruditos, hoc Christi exemplo instructus, & ipse præcepit studium Linguarum infidelium, ut Catholici periti *infideles ipsos*, pergit, *sciant, & valeant sacris institutis instruere Christicolarumque collegio per doctrinam Christianæ fidei, ac susceptionem sacri baptismatis aggregare*. Tandem rem totam hisce verbis claudit: *quibus tamen nolumus quoad alia præjudicium generari*. Huc pariter spectant sensus Pauli V. (*b*) quibus præcipitur, ut Regulares habeant studia Linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ, *ut prædicatores*, inquit, *& Doctores verbi Dei ad opus Dei instructi reddantur in dies magis, & partes suas ... ad utilitatem animarum quotidie melius, & felicius adimpleant. Cui rei plurimùm conducere satis constat Linguarum cognitionem, Hebraicæ præsertim, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ; hæc enim*

(a) *Loco cit. apud Librum Sextum Decretalium col.* 235. *num.* 50.
(b) *In præfat. Constitut. Data Romæ pridie Kalendas Augusti* 1616. *apud Bullarium Tom. III. p.* 254. *col.* 2.

nim conversio infidelium opportunatissima esse dignoscitur, quando magna eorum pars aut Arabice loquitur aut intelligit. Et quoniam eo jam tempore cœperunt Hæretici abuti peritia Linguarum Orientalium, quique productis ex fontibus hodiernis falsis annotationibus, distortisque interpretationibus, ubique Vulgatam quam Concilium Tridentinum consecravit, traducebant, ideo subdit: *ac si umquam reliquarum trium Linguarum notitia in Ecclesia Dei utilis fuit, diebus nostris profecto utilissima est: hostis enim humani generis Linguarum scientia, singulari dono Dei hominibus tradita, ad ipsius largitoris contumeliam, & fidei suæ Catholicæ detrimentum, nunc ut cum maxime abutitur.*

136. Ea igitur potissimum ratione Romani Pontifices, cæterique Ecclesiæ ministri gratiis, favoribus, privilegiis promoverunt studia Linguarum I. ut recte, atque exacte exponeretur verbum Dei scriptum; II. ut opportunius fidelibus populis a Sacris Oratoribus ministraretur; III. ut facilius ad Christianam fidem infideles venirent; IV. tandem ut detegerentur versutæ fraudes Hæreticorum. Jam verò quomodo adversarii ex hoc rerum themate eruant fontes non esse corruptos, aut ex inspectione fontium posse Vulgatam emendari quique viri eruditi judicent. Immo ut res est ingenue fatear: si præfatæ constitutiones pensiculatius perpendentur, certe suffragio potius quàm objecto nobis erunt. *Quibus tamen*, inquit Clemens, *nolumus quoad alia præjudicium generari*; & Paulus V. *hostis enim humani generis Linguarum scientia, singulari dono Dei hominibus tradita, ad ipsius largitoris contumeliam, & fidei suæ Catholicæ detrimentum, nunc ut cum maxime abutitur.* Annon Hæretici idcirco maximum præjudicium moliti sunt generare in sinu Romanæ Ecclesiæ, & Linguarum scientia abusi sunt in contumeliam largitoris, & detrimentum fidei Catholicæ inquantum armis, & focis evulgarunt hanc famosam demonstrationem: *Fontes hodierni*

ni

ni sunt sinceri, & integri; sed Vulgata in multis discordat ab hodiernis fontibus; ergo si errores complectitur, non Vulgatæ, qua utitur Romana Ecclesia, sed fontibus hodiernis in rebus fidei, & morum unice fidendum? itaque allegatæ constitutiones ubi nobis suffragantur, adversantur illis, qui adepta peritia Linguarum & præstantes majorem fidem hodiernis fontibus quàm Vulgatæ Clementis, patrocinantur causam Hæreticorum. *Qui hanc nostram*, apprime adimadvertit Canus (a) *editionem infirmare cupiunt videntur mihi nihil aliud moliri, nisi quoddam occultum Hæreticorum patrocinium. Nempe, Inquisitores despicient, qui Scripturam Latinam tanquam certam regulam teneant, cùm veritatis Græcæ atque Hebraicæ ignorantia teneantur. Scholasticos auctores despicient, qui vulgari Latino Interpreti fidem suam alligarint... despicient sanctos etiam priscos, qui Hebraicæ linguæ peritia caruere*; (quæ) *si Christianæ aures meritò perborrescunt, consentiamus &c.*

TERTIUM OBJECTUM.

137. Dato quod Judæis curæ fuerit modis omnibus polluere Hebræum fontem, quod autem facto perfecerint nimis incredibile videtur tum propter innumerabilem copiam exemplarium, & infinitam Judæorum per omnes Orbis regiones sparsorum multitudinem; tum quod hujuscemodi Judæorum impietas haud potuisset fugere zelantes Christianos, qui codicibus Hebraicis numquam caruerunt. Hoc quondam fuit ratiocinium Aquilini Doctoris S. Augustini expansis vulnis ab hodiernis eruditis exceptum.

138. Respondeo distinguendo totum complexum argumenti: & hisce rationibus suadetur Judæos nonnisi maxima cum difficultate fraude, & dolo consþurcasse omnes Hebraicos codices esto; suadetur reapse eos non polluisse, inficiatur. Momenta enim a ratione, & verisimilitudine petita haud tanti

(a) *De Loc. Theol. Lib. II. Cap. XIII. p. 54. col. 2.*

tanti facienda, ut propter ipsa licitum sit inficiari aliquod mysterium fidei, vel naturæ arcanum, vel factum aliquod traditione, & ocularibus speciminibus comprobatum: quot, dicas amabo te, rationes philosophicæ suadere videntur unicuique personæ unicam competere naturam, ita ut sine lumine fidei minime valeamus ostendere in eadem persona Christi dualitatem naturarum Divinæ scilicet, & humanæ? quot insuper geometricæ demonstrationes evincunt corpus aliquod in aere movendum, quò gravius eò pluribus indigere sustentaculis? quot tandem prudentes conjecturæ inducunt, & impellunt ad credendum nostros proceres Christianæ fidei longe majorem solertiam adhibuisse pro custodiendis, & conservandis archetypis Evangelistarum, & Apostolorum, quàm Autographorum exemplaribus? & tamen quis hodiernorum Christianorum criticorum audebit ire inficias, aut impermixtam unionem naturæ Divinæ, & humanæ in eadem persona Christi; aut maximam machinam elephantis currentis non amplius quàm super quatuor pedes, & contrà exiguam molem vermiculi centum pedibus sese moventis; vel tandem asserere, & jurejurando affirmare, circumferri apud nos ipsa Autographa Evangelistarum, & Apostolorum? Heinc jure cordati atque probati viri utroque pollice consignant: rationes lumine naturæ confectas in rebus fidei, & arcanorum naturæ haud dominari, sed ancillari, munere tantum fungendo simplicis pedissequæ; & circa nonnulla facta, quæ constanti traditione cum quibusdam speciminibus ad nos usque pervenerunt minime eorum probare repugnantiam, sed vix arduam, sollicitamque curam qua molita fuere, & reapse acciderunt.

139. Et sane hujus arduæ, sollicitæque provinciæ Judæorum maxime Rabbinorum circa conspurcationem Hebræi Textus, satisnobis est testimonio Justinum referens: (a) Rab-

(a) *Apud Salmeronem Proleg. IV. p. 40. col. 2.*

Rabbinos Hierosolymitanos destinasse legatos in omnes oras Judæorum, qui toto terrarum Orbe dispersi erant ut Christo, & Christianis adversarentur: porro quod ut facilius feliciusque Christo, & Christianis adversarentur præcipuo studio fuit eis deflorare suas litteras, jam te abunde intellexisse censeo ex dictis (*a*). Nec velim putes hujusmodi facinus tam difficile factu fuisse ut impossibilitatem sapiat; quoniam si verum est quod percensetur a laudato Salmerone (*b*) Solon sapientissimus legislator Atheniensis, ut ex testimonio Homeri posset probare Insulam Salaminæ pertinere ad gentiles Athenienses, & non Megarenses, quoddam versiculum adjecit Homeri codicibus; & elapsis aliquot annis quibus illa causa in foro emersit, propter exhibitionem versiculi adjecti accidit, ut Megarenses falsato Omeri testimonio Salaminam amitterent: potuit igitur Solon constuprare Homeri codices, facilius plane potuerunt Judæi suos codices vitiare, quum non unus, aut pauci, sed tota Judaica natio in hoc infando conspirarit.

140. Quid? & fortasse non idem momentum quo adversarii urgent nos, pari methodo vexari valeant a nobis? nota, plerique adversariorum haud dubitant concedere Judæos corrupisse versionem Septuaginta in omnibus codicibus; hinc persæpe torquent testimonia producta veterum Patrum dicentes, non de corruptione Hebræi Textus, sed versionis Septuaginta eos esse intelligendos (*c*). Nota pariter longe plura, secundo seculo Christianæ Ecclesiæ, circumferri exemplaria versionis septuaginta quàm Hebræi Textus, ex eo quia vix pauci eo tempore gnari erant Hebraicæ, & e contra in Oriente omnes Græco sermone loquebantur, sicut in Occidente permulti eamdem Græcam callebant; *adde* non Hebræus sed codex Græcus legebatur in Synagogis, ac in omnibus Orientalibus Chri-

(a) §. *II. hujus Capitis. N.* 118. *& alibi*. (b) *Loco nuper cit.*
(c) *V. N.* 13. *& seq.*

ſti Eccleſiis ; (a) conſequenter exemplaria Hebræi Textus vix adæquabant decimam partem Græcorum exemplarium ; ſicut & homines qui periti erant Hebraicæ, nec centeſimam eorum qui Græcam noſcebant : quo in anteceſſum poſito ita irruo in adverſarios eodem ſuo argumento . Aut copia exemplarium Hebraicorum , infinita multitudo Judæorum per omnes Orbis regiones ſparſorum , necnon zelantum Chriſtianorum qui apud ſe retinebant Hebræos codices , hæc inquam aut firmiter probant Hebræum Textum non potuiſſe vitiari a Judæis in omnibus codicibus , vel non ? ſi primum , ergo multò magis, & potiori jure probabunt repugnantiam corruptionis Septuaginta in omnibus pariter codicibus, propter majorem copiam tum codicum Græcorum , tum hominum qui Græcum callebant; atque ita neque Hebræi , neque Græci codices corrupti fuere, & conſequenter ſolemniſſimum mendacium texuerunt veteres Patres quum unanimi conſenſu tradunt , Judæos multa loca veteris teſtamenti conſtupraſſe, & quidem in omnibus codicibus, ut perſpicuis rationibus jam ſupra oſtendimus (b) quo quid ineptius, quidve procacius nonniſi mente motus non intelligit. Si confugis ad ſecundum , ergo levius , faciliiuſque fuit Judæis conſtuprare omnes codices Hebræorum quàm verſionis Septuaginta; quemadmodum levius, faciliuſque eſt alicui poſſe falſare inſtrumentum aliquod deſcriptum decem tantum exemplaribus , & quod ab uno vel altero raro legitur, quàm ſi fuiſſet evulgatum in centum exemplaribus , & a pluribus perſæpe legeretur , imo expoſitionibus illuſtraretur.

141. Tandem gratis animis agnoſcimus hocce objectum eſſe fœtum Aquilinæ mentis Sancti Auguſtini, at qua lege protulerit, diſerte alibi deprompſimus, (c) ubi pariter notavimus, veſtigia prementes Salmeronis , non potuiſſe Auguſtinum hac ſuper re ferre certum judicium , quippe

qui

(a) *V. N.* 183. (b) *N.* 13. 16. 19. (c) *V. N.* 107. *& ſeq.*

qui Hebræam Linguam non noverat: mirabile tamen dictu eſt quod hodierni Hebraiſtæ, licet interdum convicti quibuſdam ocularibus corruptelis fateantur, Hebræum Textum aliquibus in locis fore caſtigandum, adhuc apertiſſima diſſonantia dicendi, modo contendant Judæos non potuiſſe omnes Hebraicos codices falſare: namque quum taxant Hebræum, dicentes, a Judæis vel fuiſſe inverſum, vel depravatum, vel interpolatum tunc, peto, loquuntur ne de omnibus hodiernis Judaicis exemplaribus, vel de aliquibus? certe dici non poteſt loqui de aliquibus, quoniam ipſis judicibus, & teſtibus omnes profecto Hebræi codices turbide fluunt quoad locum Iſaiæ *(a)* Jeremiæ *(b)* Pſalm. *(c)* de quibus fuſe egimus; *(d)* ergo ſi ipſis conſentientibus Judæi falſarunt quoad iſta loca omnes Hebræos codices nullo excepto, quis eos non miratur, quum in præſentia tentant emendicato ratiocinio inficiari factum ſuo ipſomet calculo comprobatum? quemne latet illud tritum Ariſtotelis: *relinquere ſenſum & quærere rationem infirmitas eſt intellectus*, & hoc aliud, *contra factum manifeſtum quantumvis firma ratio oppoſitum ſuadeat, evaneſcit?*

QUARTUM OBJECTUM.

142. *Si Judæi*, ſcribit Waltonus *(e) malitioſe corrupiſſent Scripturas odio Chriſtianorum, hoc ſine dubio feciſſent in vaticiniis de Criſto, & in locis quæ de præcipuis myſteriis religionis Chriſtianæ agunt: boc vere non fecerunt. Nam in quibus Codices Hebræi a Græcis & Latinis differunt, ea nullius aut parvi momenti ſunt: imo ut obſervat Bellarmin. in iis ſæpe codices Hebræi Judæis magis obſunt, quam Græci & Latini, ut in Pſal.* 2. *ubi legunt Græci & Latini codices* apprehendite diſciplinam, ne iraſca-

(a) *Cap.* IX: v. 6. (b) *Cap.* XXIII. v. 6. (c) *Cap.* XXI. v. 6.
(d) §. IV. *hujus cap.* (e) *Proleg.* VII. §. 4. 278. *col.* 1.

ſcatur Dominus; *in Hebr. eſt*, oſculamini filium ne iraſcatur; *Quæ lectio magis facit pro Chriſto Dei filio, quàm prior. Quis vero credat, Judæos depravaſſe locos, de quibus inter nos & illos nulla eſt controverſia ; & in reliquis, quæ de graviſſimis myſteriis noſtræ religionis agunt nihil immutaſſe?* Ita Waltonus cui hodierni critici ultro adhærentes quàm frequenter idem momentum iterant.

143. *Reſpond.* ut dicitur ad hominem. Si Judæi malitioſe corrupiſſent ſcripturas odio Chriſtianorum, hoc ſine dubio feciſſent in vaticiniis de Chriſto, & in locis, quæ de præcipuis myſteriis religionis agunt; at ipſo Waltono teſte hoc vere fecerunt; nam diſſerens (a) de illo Pſalmorum *foderunt manus meas* &c. approbat teſtimonia Sixtini Amama, Junii, Whitakeri, aliorumque aſſerentium, eſſe vitium in Hebræo, quoque ſubdens, *hoc vere ipſos* (Judæos) *feciſſe ex odio in Chriſtum, & contra propriam conſcientiam apparet ex commentariis R. Salom. Ab-Ezra, R. David, & aliorum;* ergo ex eodem Waltono Judæi malitioſe corruperunt Sacras Scripturas. Neque dicas, hominem agnoviſſe hanc unam & ſolam probabilem mendam in Hebraico, Judæorum malitia ingeſtam. I. quia hæc ſola ſufficit ut proprio mucrone confodiatur illud ſolemne mendacium *hoc vere non fecerunt*; II. quia ſpecimen nobis ſuppetit detegendi apertius ſuam mendoſam ſcribendi rationem, nimirum alias corruptelas conſimiles præfracte denegando, quum ex dictis ſatis clareſcat, Judæos ex odio in Chriſtum, & Chriſtianos polluiſſe Hebræum quam plurimis aliis locis : Pſalmorum xcv. (b) Iſaiæ IX. (c) Deuter. Cap. II. & XXVII. (d) Oſee IX. (e) Geneſ. XLIX. (f) Daniel. IX. (g) & alia ſexcenta, ut conſpicere eſt apud Salmeronem, Bellarminum, Jacobum Gordonum, Huntlæum, Bonfrerium, Leonem Caſtrium,

(a) §. 7. *ejuſdem Proleg. p.* 279. *a col.* 1. (b) *V. N.* 12.
(c) *V. N.* 55. 57. 58. (d) *V. N.* 22., & 24. (e) *Ut in N.* 29.
(f) *V. N.* 36. (g) *V. N.* 44.

ftrium, Marinum Merfennum, Fraffenum, ceterofque. *In quibus*, pergit Waltonus citatus, *codices Hebræi a Græcis & Latinis differunt, ea nullius aut parvi momenti funt*; at fi ita, quomodo proleg. x. (*a*) ponit in apricum permultas apertas contradictiones inter Hebraicum ex una parte, & verfionem Septuagiuta cum Vulgata ex altera? quomodo etiam (*b*) ob difcrepantiam Vulgatæ ab Hebræo, *neceffario*, hanc confequentiam infert, *fequitur Vulgatam non poffe proprie authenticam dici, cum duo authentici textus fibi invicem repugnantes dari non poffint?* qua enim lege, difcrepantiæ inter Hebræum & Vulgatam ad placitum Waltoni nullius, aut parvi momenti funt, fi per ipfum, alibi, tanti funt ponderis ut contendant authentiam Vulgatæ, imo non femel affirmet in Vulgata Clementis fupereffe errores emendandos, & corrigendos? vide quomodo cum feipfo non concordat, & ftudio obfcurandi fuis caliginofis fumis authentiam Vulgatæ haud detrectat in ignem contradictionis fefe projicere. Heinc ut ipfe fuique affentatores falfa fuppofitione ducti, quod Hebræus hodiernus fit integer, concludunt, Vulgatam erroribus fcatere, ita nos e contra fine contradictionis vitio, & nixi graviffimo decreto Concilii Tridentini quo Vulgata approbata fuit, potiori jure pro confectario ftatuimus, hodiernos fontes corruptelis fcatere, & in quibus a Vulgata difcordant corruptos cenfendos effe, nulliufque auctoritatis.

244 *Obfervat*, additur a Waltono, *Bellarmin. in iis* &c. At Bellarminus pariter obfervat quod *Hæretici*, inquit (*c*) *hujus temporis odio editionis Vulgatæ nimium tribuunt editioni Hebraicæ*; obfervat pariter (*d*) fententiam qua afferitur, Hebræus Textus eft fons puriffimus, effe apertiffime falfam; Bellarminus tandem pleraque exempla fuppeditat perfpicuarum corruptelarum hodierni He-

(a) §. 9. *p.* 357. *col.* 1. (b) §. 12. *ejufdem proleg. p.* 360. *col.* 1.
(c) *Lib. II. de Verbo Dei Cap.* 11. *col.* 69. D. (d) *Ibidem*.

Hebræi, & quamvis (*a*) illius fuerit opinionis qua existimatur in Hebræo legi: *osculamini filium;* cæteri autem periti linguæ Hebraicæ aliter sentiunt. Quare notandum in Hebræo haberi *Nasschu bar*, quod Pagninus, Vatablus, Felix, Jansenius, Cajetanus, Folengius, Eugubinus, Genebrandus, & alii verterunt *osculamini filium*; Septuaginta verò, & Interpres antiquæ Italæ reddiderunt. *Apprehendite disciplinam*, quibus concordat Chaldaica *Kavilu ulpana*, sive, *recipite doctrinam;* at ut bene monent Eugubinus, Pintus, & Jansenius, (*b*) si de disciplina filii hic sit sermo deque doctrina Evangelica idem est, *osculari filium*, seu manus ejus, atque apprehendere disciplinam, seu profiteri obedientiam ipsius: & Joannes Lorinus hoc in loco, *non potuit*, inquit, *melius exponi, quàm sicut exposuerunt Septuaginta. Nam eorum expositio comprehendit quidquid est in cæteris ... Hoc autem loco* apprehendite disciplinam *significat subiicite vos institutioni, præcepto, consilio, voluntati, castigationi, quod plus est quàm exterius venerari osculando; quamquam hoc non excludatur*; & hacquippe ratione arbitror, Hieronymum in sua versione, qua hodie utimur sese coaptasse lectioni versionis Septuaginta, & Italæ, retinens: *Apprehendite disciplinam*. Cæterum observatio Bellarminiana nihil nobis facessit, quoniam ex ea unice infertur quod non semel lubenter concessimus, nimirum, Judæos (Deo sic bene disponente) haud omnia vaticinia de Christo in suis codicibus temerasse, minime tamen quod nullum oraculum deleverint, quodque Christum clare sonabat, ut eidem Bellarmino curæ fuit ocularibus exemplis ostendere: & consequenter cavillatur Waltonus quum molitur testimonio Bellarmini suadere, Judæos de gravissimis mysteriis nostræ religionis nihil immutasse.

PO-

(a) *Loco cit. col.* 71. *D.* (b) *In Caput. IV. Danielis.*

POSTREMUM OBJECTUM.

145. Ex eodem Waltono. *Repugnaret*, inquit (*a*) *providentiæ divinæ ut libros quos ad salutem generis humani exarari voluit ab hominibus spiritu Dei afflatis, quosque manere voluit ad finem mundi; ex quibus, ut fontibus aquas salutares omnes gentes haurirent; ita falsari sineret ut ad hunc finem inepti essent. Non ita umquam indormivit custos Israel, qui in necessariis Ecclesiæ suæ, numquam deficit: injuriosum esset Dei providentiæ, qui se Ecclesiæ semper adfuturum promisit, asserere, libros, in quibus hæc doctrina continetur perituros aliquando, vel corruptos fore. Præterea hoc contra fidelitatem, & curam Ecclesiæ Christianæ erga libros Sacros faceret, quam Deus* columnam *fecit* & firmamentum veritatis *cui oracula sua concredidit; si sacrum hoc depositum adulterari, & falsari permitteret. Libros N. Testamenti Ecclesiæ Christianæ tradiderunt Apostoli, quos fideliter conservavit. Hebraicos etiam ad Ecclesiæ curam pertinere, agnoscunt doctiores Romano-Catholici.*

146. *Respond.* Negando suppositum, quoniam Waltonus supponit quod fœdato sive in omnibus, sive in nonnullis Hebraico Textu, per inevitabilem consequentiam descendat, vetus Testamentum omnimoda jactura amissum censeri debere, atque deperditum; adeo ut Ecclesiæ in hoc casu omnino deesset id, unde posset eas aquas salutares haurire, quas Prophetæ divinitus acti litteris mandarunt: quod utique si verum foret, & nos Waltono manus libenter daremus; at affatim probavimus Ecclesiam Christi vere verissime semper habuisse sacros libros Veteris Testamenti in tota codicum universitate, non obstante quod a Justini temporibus Hebraicus fuerit insignibus corruptelis obnoxius. Recolenda sunt quæ diximus an-

(a) *Proleg.* VII. §. 5. *p.* 278. *col.* 2.

antea (*a*) Præterea annon Deus per Prophetam Ezechielem satis innuit, pertinaces Hebræos fore aliquando suos libros corruptelis turbaturos, sua scilicet salutaria pascua conculcando? *Nonne* (*b*) *satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Propterea . . . salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus*. In quem locum Glossa Ordinaria exprobrari ait Hebræis, *Scripturam Sanctam, quæ cibus, & potus est, per se bonam, ipsorum vitio corruptam*: quæ est etiam interptetatio Hieronymi. Annon per Isaiam, & per filium ejus Servatorem nostrum Jesum minitatus fuit, velle a Judæis auferre in futurum divinas litteras, & dare gentibus facientibus fructus ejus sub aliis Linguis potissimum Græca, & Latina? audi Antonium Casinum: *quod vero*, inquit (*c*) *additur ad Dei providentiam pertinuisse impedire* deflorationem Hebræi Textus *omnino ne fieret; pluribus, iisque valde probabilibus argumentis potest refelli .. Quid enim si Deus hoc etiam & præsidium, & ornamentum Hebræis tandem eripere voluit, & in Ecclesiam suam penitus transferre; ut scilicet ibi solùm sinceri atque integri essent divini libri, ubi est veræ fidei magisterium? Huc facere videtur quod scriptum est Isaiæ Cap. V. ℣. 5. 6.* auferam sepem ejus, & erit in direptionem &c. *& Matthæi* XXI. *v.* 43. auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Hæc Casinus. Itaque hisce omnibus spectatis videtur ad Dei providentiam pertinuisse, quod Vetus Testamentum apud Christianos, & non Judæos integer servaretur. Item alienum non fuit neque a divina providentia, neque a vigilanti Ecclesiæ Christi custodia, neque ab omnibus gentibus, quæ indigebant salutaribus aquis, quod reapse perierint

(a) *V. N.* 120., *& seqq.* (b) *Ezechiel* XXXIV. *a v.* 18.
(c) *In Encyclopædiis Proleg. L. disput. III. p.* 29. *col.* 1.

rierint codices Archetypi Sacrorum Scriptorum, & alia ferme viginti sacra volumina; ergo neque ab iisdem alienum fuit, ut Hebræi codices in nonnullis corrumperentur. Ad ultimum utique Hebraici, quoad ea loca in quibus a Vulgata non discordant, pertinent ad curam Ecclesiæ, sed unice propter utilitates enarratas num. 133.

147. Tandem, ut huic capiti, quod tam longe protendi, extremam manum imponam, lubet stricta oratione referre simul, & refellere quædam alia momenta, quæ idem Waltonus proleg. VII. depromit. *Jam verò*, inquit (a) *Textus Hebræos & Græcos quos hodie habemus cum ipsis Autographis convenire*; at convenient fortasse in illo Psalmorum, *foderunt manus meas &c.* quod ipso judice & teste in hodierno Hebræo reperitur falsatum? convenient quoque in tot aliis locis quæ ex eruditis jam notavimus, & ipso quoque Waltono testante, omnia hodierna exemplaria Hebræorum sunt erroribus obnoxia? At audiamus quo firmo momento id probet? *Textus Hebræus*, subdit, *testimonium habet Christi & Apostolorum, qui ex eo doctrinam confirmarunt; quod numquam fecissent nisi pura, & incorrupta fuissent exemplaria Autographis respondentia*: ecquis vel tiro dialecticus non eum petitionis principii criminatur? de hoc sane instat præsens disceptatio, utrum scilicet hodiernus Hebræus ea puritate polleat, qua gaudebat tempore Christi, & Apostolorum? nugatorie igitur argumentatur Waltonus. Item profert exemplum scriptorum Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Ciceronis, Senecæ, aliorumque, qui multis abhinc sæculis floruerunt, & nemo tamen ambigit, quin vera sint eorum exemplaria hodierna; at inter scripta istorum, & Prophetarum Veteris Testamenti quàm longum latumque discrimen intersit, satis colligitur ex dictis, tum scilicet ex odio quod Judæi habebant ea Prophetarum oracula quæ clare Christum sonabant, tum ex

(a) §. 16. *p.* 284. *col.* 1. & *seqq.*

testimoniis Patrum qui Judæos de infando corruptionis scripturarum accusant, tum ex ocularibus corruptelis quæ in hodiernis fontibus conspiciuntur injecta: hæc sane, & non diuturnitas temporis nos excitavit ad tuendam corruptionem hodierni Hebræi. Cavillatur tandem (a) quod nondum convenit inter patronos nostræ sententiæ quænam loca sint corrupta, quum alii plura, alii pauciora enumerant; sed quid pro Waltono? ex quo emergit dubium de numero ex. gr. clavorum quibus Dominus Jesus cruci affixus fuit, sequiturne Christum mortem crucis non sustinuisse? quid quod ipse quoque bene nobiscum consentit, quod Hebræi codices sint erroribus obnoxii, & maxime in duobus quoque locis quæ concernunt religionis mysteria? (b) & consequenter verbis ludit quum (c) dicit in codicibus originariis scribarum lapsu, vel ex alia causa fortuita irrepsisse levia menda.

SYNOPSIS TOTIUS CAPITIS.

148. Ut res est ingenue fatear, adversarii in hujusmodi negotio videntur mihi Thrasones agere. I. Sæpe enim sese jactitant zelo religionis tueri puritatem hodierni Hebræi, & tamen ut visum est §. I. nonnisi illi quibus cordi est religionem disperdere, fuerunt, & sunt præcipue patroni hujus sententiæ. II. Autumant sententiam nostram invexisse ex decreto Concilii Tridentini, quo Vulgata Latina, tametsi in multis ab hodierno Hebræo discordans, declaratur authentica; & tamen qui consulit §. 2. agnoscet, ab initio secundi Seculi reparatæ salutis, quo scelus corruptionis accidit, cœpisse veteres Patres id constanter prædicare. III. Gloriantur de suffragio nedum Hæreticorum, sed quoque virorum Catholicorum; verùm catalogus Theologorum non infimi subsellii, qui

§. 3.

(a) *Proleg. cit.* §. 9. *p.* 280. *col.* 1. (b) *V. N.* 59. (c) §. 22. *p.* 286. *col.* 2. *& alibi.*

§. 3. ceu in choro pleno concinunt deflorationem Hebraicarum litterarum, luculenter nugas illorum irridet. IV. Pressi calculo veterum Patrum affirmantium, Judæos ex odio in Christum, & Christianos pollnisse suos codices eò temeritudinis progressi sunt, ut dicant hac in parte haud veteres audiendos, ut qui Hebraicæ, & regularum critices nec fores salutarint: heinc mihi bonum consilium visum fuit §. 4. adversarios jugulare pugione eorundem, quos de insigni peritia Hebraicæ, & critices ipsi persæpe laudant. Quid amplius? V. Aliorum, dicunt, hominum tametsi doctissimorum testimonia tunc solum magni facimus, quum ad lancem proprii judicii, & privatæ rationis adpensa, intuemur vera, vel saltem verosimilia eos dixisse: oculos, & nos sicut illi habemus, atque ita non stulte, & sine judicio agimus, sed ex solo imperio rationis aliqua credenda amplectimur: quo factum est, ut §. 5. exornarim assertionem quinque momentis a ratione petitis: *primò* ocularibus corruptelis, *secundò* hodiernorum exemplarium varietate, *tertiò* ex aperta discrepantia quarumdam lectionum antiqui Hebræi cum hodierno, *quartò* ex variis principiis Catholicorum, *quintò* ex absurdis. VI. Stulti sunt qui seipsos nullis legibus subjicere volunt, ab aliis tamen omnium vel simplicium consiliorum exactam observantiam expectant, loquar apertius: tametsi adversarii minime vereantur Hieronymi & Augustini testimonia spernere, quia tamen putant in hoc argumento nobis diserte refragari, sæpissime opponunt; & ideo mihi curæ fuit pro viribus in apricum ponere §. 6. quantum ab ipsorum cogitatione Hieronymus, & Augustinus absint. VII. tandem acriter graviterque causantur ex eo quod *primò* nullum certum tempus assignari potest, quo corruptio Hebræi Textus acciderit, *secundò* ipsi Romanæ Ecclesiæ Pontifices magno prosequuntur officio, qui hodiernis fontibus sedulò incumbunt, *tertiò* non potuisse Judæos omnes suos codices adulterare, *quartò* ipsamet vati-

cinia de Christo quæ in hodierno Hebræo clamant, hortantur quoque illius sinceritatem, ac integritatem, *demum* ubine providentia Dei qui se Ecclesiæ suæ semper pabulo sanctarum scripturarum adfuturum promisit? ubi fidelitas Ecclesiæ quæ tam gravi sopore dormivit, ut sibi, filiisque suis salutaria pascua sublegerentur? at si non me fallit opinio, arbitror, minime infirmis momentis per totum §.7. hisce omnibus, aliisque fecisse satis.

149. Quid tum? puto non aerem verberare, cum in gratiam primæ susceptæ demonstrationis explicem hoc primum caput dicendo: ergo hodiernus Hebræus turbide fluit; ergo ubi discrepat a Vulgata Clementis non est ei fidendum; ergo ex discrepantia hodierni Hebræi minime eruitur vel levissimum mendum, in Veteri Testamento Vulgatæ Clementis, correctione dignum. *Græci* suffragatur Gregorius de Valentia, cujus testimonium hic recolere lubet (a) *& Hebraici codices sicubi a nostra editione dissideant, per nostra corrigendi & emendandi sunt. Nam hanc Ecclesia peculiari definitione per omnia probavit, non illos, quamquam nec illos rejecit, nisi ubi huic nostræ editioni forte contradicerent.*

CAPUT II.

De integritate & sinceritate hodierni Textus Græci Novi Testamenti.

150. Jam e cautis, & confragosis locis enavigavit oratio. Nemo siquidem eruditorum ignorat, hac in provincia arduum, ac perdifficile cuique semper fuisse firmiter definire litigium præcedentis capitis, tum propter oppositarum partium gravissima momenta, tum quia ex resolutione illius, ceu e perpendiculo pendet judicium præsentis Controversiæ. Quare Waltonus, cui velint nolint Protestan-

(a) *Vide N.*43.

testantes opus est in hoc prærupto negotio deferant primas, probe noscens eodem paralellarum fluxu currere ista duo, prætermisit in duobus prolegomenis secare dicens: *Quæ de Textu Hebraico dicta, etiam ad Græcum Novi Testamenti applicari possunt* (a). Mirum igitur haud esse debet si prolixitatem prioris capitis, stricta dicendi ratione in præsentia temperabimus; quum mihi decretissimum sit ea dumtaxat hìc velle differere, quæ ex præcedenti nullimode erui possunt.

§. I.

In patulum ponitur controversiæ status.

151. Nota sermonem non esse de Autographis Evangelistarum, & Apostolorum; neque de eorundem Apographis sive exemplaribus, qui per totum primum Seculum Christianæ religionis limpide fluebant, bene verò de iis codicibus, quos hodie habemus, utrum scilicet præseferant sinceritatem, & integritatem Archetyporum? observatum quoque velim, in præsentia curæ nobis non esse cernere deliriis Anabaptistarum, & Servetanorum, qui, teste Salmerone (b) *Novi sunt Ariani, fatentur libros aliquos Novi Testamenti fuisse ab Apostolis conscriptos, sed postea ab Hæreticis depravatos, & multis errorum portentis contaminatos:* taliter ut ad votum istorum, hodierna Christi Ecclesia minime habeat integrum, atque sincerum Dei verbum in Novo Testamento consignatum. Hujusmodi enim monstrum satis, superque olim expilarunt clarissimi Patres Epiphanius contra Marcionem, Hieronymus in Elvidium, Augustinus in Faustum Manichæum, (c) qui-

(a) *Proleg. VII.* §. 15. *p.* 283. *col.* 2. (b) *Proleg. XXXIII. p.* 416. *col.* 1. (c) *V. N.* 94. *& seq.*

quibus recenter adstipulati sunt, tum Catholici, tum fere omnes Protestantes.

152. Et sane licet in hodierno Græco insignes corruptelæ, ac infinita codicum varietas occurrant, non ita tamen custos Israel indormivit, ut ipsius visibilis Sponsa vel quoad apiculum Novum Testamentum amiserit in ipsa omnium codicum biblicorum, & veterum Patrum universitate, ut supra ostensum fuit, (*a*) namque si qua in Testu Græco perspicua corruptela cernitur, maxime apud Caput VIII. Joannis, ubi vetustiora Græca exemplaria, & Syriaca de historia adulteræ tenent altum silentium; & tamen nedum Catholici, sed quoque Hæretici bene noscunt, hanc apud Christi Ecclesiam constanti traditione custoditam fuisse; hinc Erasmus, Erasmus inquam ille Roterodamus, qui nimis suo indulgens ingenio facem prætulit nebulonibus quoad methodum criminandi, & castigandi Vulgatam ex fontium inspectione, fatetur, historiæ adulteræ meminisse Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, Eusebium Cæsariensem; repertam pariter fuisse in Evangelio, quod inscribitur *secundum Hebræos*, vel saltem in Evangelio aprocrypho Nazaræorum. (*b*) Drusius, quod hæc historia olim legebatur in Evangelio, quod secundum Hebræos lectitabant eo tempore Nazaræi. (*c*) Grotius (*d*) *Vetustiora*, inquit, *Græca exemplaria & Syriacum non habent*, (historiam adulteræ) *at habent Latina quædam, seriora Græca & Arabicum. Nam in Nazaræorum Hebræo fuisse, satis ex Hieronymo constat*. Vide igitur quot testes Divina providentia substituit in locum Græci fontis quoad præfatam historiam interpolati. Ita pariter licet historia de Angeli apparitione ad consolationem Christi absfuerit a veteribus codicibus Græcis, & nunc a plurimis etiam absit, non defuerunt tamen multi co-

(a) *N.* 120. *& seq.* (b) *Apud Crit. sacr. Tom. IV. par.* 1. *col.* 1682. (c) *Apud eosdem Crit. col.* 1691. (d) *Ibidem col.* 1694.

codices Latini, Syriaci, Arabici, SS. Hilarius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, aliique qui integritati allegati loci abunde fecerunt suppetias. Item ultimum capitulum S. Marci in multis antiquis, & hodiernis codicibus Græcis desideratur, quoniam resectum ab Hæreticis, & tamen, *Latinus*, testatur Frassenus (*a*) *Syrus*, *&* *Arabs hoc caput agnoscunt*, *&* *cujus magna in hoc re debet esse auctoritas*, *S. Irenæus*. Indubium tandem est, fraude Arianorum a veteribus Græcis codicibus resecatam fuisse hanc celeberrimam S. Joannis sententiam: *tres sunt qui testimoniunt dant in cælo*, *Pater*, *Verbum*, *&* *Spiritus Sanctus: &* *hi tres unum sunt*: adeo ut teste Patre Natale Alessandro (*b*) SS. Athanasius, Grægorius Nazianzenus, Chrysostomus, Didymus, Augustinus non legerunt; at quid? custos Israel non invigilavit fortasse pro hujus oraculi exactissima manutentione? eum certe constanter retinnere, & Prologus antiquus præfixus Epistolis canonicis in Bibliis Caroli Calvi, adscriptus ab eruditis ipsi Sancto Hieronymo, & S. Cyprianus in suo codice, quem pariter laudat in libro de unitate Eccles., & S. Fulgentius Lib. respons. contra Arianos; plus dicam: Erasmus qui in priori sua editione Novi Testamenti prætermisit, in posteriori autem ne apertis oculis videretur cæcutire, adoptavit. Legesis Natalem loc. cit. Quibus absque eo quod sermonem longius prolatem, satis demonstrasse puto, quàm inscite, ac præfracte offenderint tum veteres Marcionistæ, tum recentiores Anabaptistæ, ac Servetani quum ierint assertum: taliter Novum Testamentum ab hostibus fidei conspurcatum fuisse, ut illius sinceritate ac integritate maxima ex parte careat Ecclesia Christi.

153. Jam verò ad quod hic in votis est, redeam. Non semel diximus, tam hodiernos Hæreticos, quàm Catholi-

(a) *Disquis. Bibl. Cap.* VI. §. 3. *p.* 677. (b) *Sæculo I. Eccles. hist. Cap. XII. ar. II.* §. IV. *Tom. V. p.* 72.

licos de integritate, & puritate hodierni Græci Novi Teſtamenti loqui cohærenter ad ea quæ opinanturcirca Hebraicum; heinc quod Hæretici eadem quippe libidine diſperdendi authentiam Vulgatæ noſtræ acriter contendant puritatem Græci Fontis, lubet adiicere præfatis tres ex Catholicis, unum ex Proteſtantibus. Dominicus Gravina, (*a*) *Novatores*, inquit, *ut Vulgatæ Latinæ editioni detrahant per omnia, in omnibus puriſſimam eſſe jactitant Scripturam Novi Teſtamenti Græco ſermone deſcriptam;* Serarius [*b*] *Quemadmodum Hebræo Textui hodierno tribuebant in Veteri Teſtamento omnimodam puritatem Novatores, ita & Græco Textui tribuunt in Novo Teſtamento.* Gaſpar Juenin (*c*) *Heterodoxi paſſim contendunt Textus noſtros Hebraicum, & Græcum eſſe in omnibus ipſoſmet Prophetarum & Apoſtolorum Textus;* Audiamus modo Ariſtarchum Sixtinum Amama [*d*] *Textum*, inquit, *Hæbræum in Veteri, Græcum in Novo Teſtamento eſſe authenticas fidei Chriſtianæ tabulas, apud noſtros in confeſſo eſt. Hoc fuit reformationis fundamentum. Pro hac theſi primi Proteſtantium Theologi tactis animis decertarunt.* Itaque ſtudio premendi veſtigia Catholicorum, necnon compeſcendi irrationabile odium, quo Hæretici Vulgatam inſectantur, profero propoſitionem.

ASSERTIO.

Hodiernus Græcus Textus Novi Teſtamenti inſignibus eſt corruptelis obnoxius; proindeque ad fidem ipſius minime eſt Vulgata examinanda, vel corrigenda.

§. II.

(a) *Lib. IV. Cat. præſcript. Contrav.* v. *Gen. p.* 268. *col.* 2.
(b) *In Proleg. Cap.* XIII. *quæſt. unic. p.* 76. *col.* 2. (c) *Diſp.* IV. *de Loc. Theol. Cap.* VI. *ar.* II. *p.* 81. (d) *In Anti-Barbar. Biblic. Pareneſi ad Synodos, Epiſcopos, & Super-Intendentes Proteſtantium p.* 125.

§. II.

Ad suffragium assertionis advocantur Patres, Theologi, imo & tres Hæretici.

PATRES.

154. Irenæus (*a*) differens de delirio Marcionis, *Et super*, inquit, *hæc, id quod est secundum Lucam Evangelium circumcidens, & omnia quæ sunt de generatione Domini conscripta auferens, & de doctrina sermonum Domini multa auferens ... non Evangelium, sed particulam Evangelii tradens.*

155. Origenes(*b*) alte conqueritur, Evangelicos libros apud Græcos ita variis lectionibus jam suo tempore discrepare, ut licet Deo præstante valuerit ex collatione variorum exemplarium Græcorum Septuaginta cum Hebræo per obelos, vel asteriscos annotare quid apud Græcam veritatem haberetur, *in exemplaribus autem Novi Testamenti hoc ipsum*, inquit, *me posse facere sine periculo non putavi: tantùm suspicione, rationesque, & causas suspicionum me debere exponere existimavi non esse irrationabile*; quod sane toto cœlo contrarium censuisset si tunc Textus Græcus Evangeliorum integer perseverasset.

Ubi obiter observes velim, quantùm nostri Critici sibiipsis indulgeant, quum ad pristinam puritatem Græcam restituisse Novum Testamentum Græcum haud infrequenter se jactitant. Si quidem in confesso videtur esse (*c*) eò exemplar aliquod suo Autographo fidelius exactiusque respondere, quò propinquius Sacris Scriptoribus exaratum

 fuit;

(a) *Adversus hæreses Lib. I. Cap.* XXIX. *p.* 129. *B.*
(b) *Homil. VIII. super Matth. Tom. II. p.* 46. *L.*
(c) *V. N.* 69.

fuit; atque ita jure æstimandum est Autographis Apostolorum & Evangelistarum magis congruere exemplaria Græca Novi Testamenti quæ Origeni aderant, atque ea quibus nostri Critici usi sunt & utuntur. Jam verò quis non miratur, quum sese gloria & prædicatione efferentes, testantur, fuisse feliciter assecutos quod Origenes tametsi Apostolorum temporibus longissime vicinior consequi desperavit? immo nec de Hieronymo me legisse recordor Novum Testamentum pristinæ Græcæ puritati restituisse, propter eandem, ni fallor, difficultatem quam antea Origenes passus fuit. Non me latet responsio quam festinanter, vestigia prementes Joannis Clerici, mihi objectabunt: haud veteribus innotuisse regulas critices & eam Linguarum orientalium peritiam, aliaque subsidia quibus plerique viri summi nostræ ætatis ad miraculum fruuntur: ast recordentur me hìc fuisse locutum de Origene & Hieronymo, quorum preclara monumenta cuique, vel exiguæ eruditionis, ostendunt eorundem vere admirabilem peritiam in hoc rerum themate.

156. Hilarius (a) *Nec sane*, inquit, *ignorandum a nobis est, & in Græcis & in Latinis codicibus complurimis, vel de adveniente Angelo, vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri.*

157. Ambrosius (b) affirmat, Græcos codices propter studium contentionis discrepare ad invicem, & Latinorum codices esse interdum emendatiores quàm Græcorum. *Quia*, inquit, *propria quis auctoritate uti non potest ad victoriam, verba legis adulterat ut sensum suum quasi verba legis asserat; ut non ratio, sed auctoritas præscribere videatur. Constat autem hoc per quosdam Latinos de veteribus Græcis translatos olim codices, quos incorruptos simplicitas temporum servavit & servat .... Nam hodie quæ in La-*

(b) *Lib. X. de Trinit. Num.* 41. *Tom. II. col.* 349. *C.*
(c) *Comment. in Cap.* v. *ad Rom. Tom. III. col.* 271. *H.*

Latinis deprehenduntur codicibus sic inveniuntur a veteribus posita, Tertulliano, Victorino, & Cypriano. Et alibi (*a*) deprehendens Græcos codices non ferre fideliter illud Marci (*b*) *Nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius* sic fatur: *Græci codices non habent, quod nec filius scit; sed non mirum est, si & hæc falsantur, qui Scripturas interpolavere divinas.*

Nemo ut Hieronymus disertius suffragatur datæ propositioni, quem commodius laudabimus infra.

158. Gregorius Magnus (*c*) *Romani*, ait, *autem codices multo veriores sunt quàm Græci: quia nostri sicut non acumina, ita nec imposturas habent*.

THEOLOGI.

159. Canus (*d*) *Magna*, inquit, *est dissentio sæpe numero Græcorum codicum, qui nunc habentur in manibus: unde & qui nostris temporibus ad Græca se dicunt se expendere Latina, haud raro inter se dissident, non in verbis modo, sed in sententiis quoque*; & pag. seq. col. 2. *nec enim sunt Hebræorum, aut Græcorum codices modo emendatiores quàm Latini; imo plerumque aliter habent, quàm ratio ipsa & veritas expostulant*.

Salmeron (*e*) *Multa*, habet, *quæ aut omissa, aut addita existimantur propter codices Græcos quos isti novi auctores* Hæretici *consuluerunt, tamen revera nec omissa neque addita judicari debent: quoniam ipsi codices Græci plerumque variant, & B. Hieronymi pluries Latinis codicibus magis fidendum esse, quàm Græcis incorreptis testatur*.

(a) *Lib. V. de fide Cap.* VIII. (b) XIII. *v.* 32.
[c] *Lib.V.Epistolarum Epist.* XIV. *Tom. IV. p.* 169. [d] *De Loc.Theol. Lib. II. Cap.* XIII. *p.* 57. *col.* 2. [e] *Proleg. XXIII. p.* 420. *col.* 1.

Thomas Stapletonus (*a*). *Dicendum*, inquit, *quod Novi Testamenti Græcus Textus propter exemplarium maximam varietatem, & dissonantiam, atque item corruptelas varias, hodie valde incertus, & dubius est.*

160. Bellarminus (*b*) *Sentiendum*, inquit, *censeo, ut supra de Hebraicis diximus, videlicet non esse Græcos codices corruptos generaliter: nec tamen esse fontes purissimos, ut necessariò quidquid ab eis dissentit corrigendum sit, ut falso existimant Calvinus, Major, Kemnitius, cæterique hujus temporis Hæretici.* Et productis quibusdam Græci Textus corruptelis *denique*, ita concludit, *constat in plurimis Græcis codicibus deesse multas veræ Scripturæ partes. Constat etiam quædam in omnibus Græcis codicibus inveniri, quæ non sunt partes divinæ Scripturæ.*

Dominicus Gravina (*c*) *Dicendum*, ait, *de fontibus Græcis & Hebraicis dupliciter posse nos loqui: uno modo ut in sua puritate olim editis, vel ad nativam puritatem restitutis; alio modo de iisdem turbide fluentibus:* Ex quo discrimine in antecessum posito, infert, quod si fons Græcus reconciliari nequeat cum lectione Vulgatæ, *præferenda*, subdit, *est Latina Vulgata Græcæ, sicut præfertur rivus purus cænoso fonti.*

Serarius (*d*) *Dico breviter Græcum Novi Testament Textum hodiernum physice corruptum esse simpliciter: moraliter verò secundum quid, secundum aliqua scilicet loca & exemplaria aut librariorum imperitia, & oscitantia, aut hæreticorum malitia.*

161. Sforza Pallavicinus (*e*) *I Testi Greci*, inquit, *che a nostra età si conservano, sono convinti di varj abbagli non leggieri nel riscontrarli in più luoghi con ciò*

che

[a] *Controv. V. q. III. art. III. p.* 522. [b] *Lib. II. de Verbo Dei Cap.* VII. *col.* 85. *B.* (c) *Lib. IV. Catholic. Præscript. de Editione Latina art.* VIII. *p.* 379. *col.* 2. (d) *Proleg. Biblic. Cap.* XIII. *p.* 77. *col.* 2.
(e) *In Historia Conc. Trid. Lib. VI. Cap.* XVII. *num.* 3. *p.* 648.

che ne allegarono i Santi Padri, *mentre que' libri duravano più incorrotti negli esempj meno distanti*, *e meno dissimiglianti da legittimi originali*.

Joseph-Angelus a Nativitate B. V. M. (*a*) *De Textu Græco*, habet, *quoad Novum Testamentum*, *nam & iste in aliquibus depravatus est*, *quia id effecit in Græco Hæreticorum malitia*, *quod in Hebræo Judæorum protervia*.

Vincentius Ludovicus Gotti (*b*) gemina verba habet iis quæ nuper protulimus ex Patre Gravina; postmodum (*c*) *Idem*, subdit, *dico de Textu Græco Novi Testamenti*; *licet enim non asseram eum esse generaliter corruptum*, *nego tamen eum esse fontem purissimum*, *ut necessariò quidquid ab eo dissentit corrigendum sit*, *& consequenter nego*, *eum habendum esse tamquam authenticum*, *summæque ac indubiæ auctoritatis*.

HÆRETICI.

162. Præstat sane adnectere testimonia eorum, qui more Balaam conducti ad maledicendum Israel, loco maledictionis, benedixit. Waltonus (*d*) primò approbat sententiam Sixtini Amam. dicentis: *Agnoscimus in Novo Testamento*, *si librorum molem*, *numerum*, *& antiquitatem cum Veteri conferamus*, *paucis annis longe plures irrepsisse lectionum varietates*. Inde sic pergit: *Annotavit Rob. Stephanus ex 16. codicibus 2384. varias lectiones*, *præter deficientia loca 280. quæ obelis notavit*: *& multò plures ex variis antiquissimis codicibus nos annotavimus*, *quæ una cum collationibus Stephani in unum corpus digestæ in ultimo nostro tomo exhibentur*. Certe ubi varietas lectionum ibi de veritate recta ratio dubitandi emergit: *nec*

(a) *Lectos. Bibl. Tract. VII. de Verit. Sacr. Script. Cap. II. ar. II. p. 331. col. 1. B.* (b) *De Verit. Christ. Relig. Tom. II. Cap. VIII. §. 1. N. III. p. 157.* (c) *§. III. Num. XXVII. p. 170.* (d) *Proleg. VII. §. 15. p. 283. col. 2.*

nec potest, inquit Hieronymus (*a*) *utique verum asseri quod diversum est*; & Waltonus (*b*) ubi varia est lectio *pars altera necessario erronea est*. Casaubonus tandem teste Eminentissimo Gotti (*c*) in notis suis ad Evangelium, & Actus Apostolorum, sæpe anteponit Vulgatam lectioni hodierni Græci Textus, ac hodiernum Græcum ab antiquo variasse dicit.

§. III.

Decoratur assertio momentis a ratione.

PRIMUM.

163. In hodierno Græco permultæ conspiciuntur oculares corruptelæ. Interdum per *detractionem*, ubinam Joannis VIII. legitur Historia adulteræ? Beza, ut fert Serarius, (*d*) quum ex septendecim exemplaribus Græcis manuscriptis Roberti Stephani Calviniani, in uno tantùm invenisset hujusmodi Historiam, causa fuit, ut de canonicitate palam dubitare profiteretur. Quot pariter sunt exemplaria Græca, quæ silent illud Marci (*e*) *Quod si non dimiseritis, nec pater vester*. Totum ejusdem Marci caput ultimum: illud Actorum (*f*) *Si credis ex toto corde &c.* Pulcherrimum de SS. Trinitate testimonium (*g*). *Quoniam tres sunt qui testimonium &c.* Quot demum multò plura ex Græco sustulerunt veteres Hæretici Ariani, & Marcionistæ quos propter hocce infandum, meritò eos increparunt laudati Patres Irenæus, Hilarius, Epiphanius, Ambrosius, aliique id genus multi. Interdum per *additionem*. Plerique hodierni Græci orationem Dominicam (*h*) hoc addito claudunt: *quia tuum est regnum & po-*

(a) *Præfat. in Esdram.* (b) *V. N.59.* (c) *Nuper citato Cap: VII. §. III. N. 19. p. 149.* (d) *Proleg. Cap. XIII. q. un. p. 77. col. 2.* (e) *XI. v. 26.* (f) *VIII. v. 37.* (g) *Epist. I. Joan. v. 7.* (h) *Matth. VI.*

& potentia, *& gloria in seculum*. Interdum per *immutationem*. Ubi Vulgata Hieronymi (*a*) legit: *Domino servientes*; Græcus, *tempori servientes*; quæ Græca lectio favet Melanchthoni (*b*) deliranti: Fidei articulos pro temporum opportunitate mutandos esse, atque ad occasionem accommodandos; pariter iniquissimis dicteriis Machiavelli; tandem Riccardo Simonio, & Jansenistis (*c*) quamque constuprationem deprehendens Hieronymus adcurate emendavit, *bipedes asinos* (*d*) vocans suos æmulos, qui ex inscitia subdolam corruptelam Hæreticorum non distinguentes, uti legitimam lectionem adoptabant, & contrà despiciebant suam correctionem de vitio novitatis criminando. Præterea in Vulgata (*e*) legitur: *qui autem cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat uxori & divisus est*, volens hoc loco Apostolus innuere: quod uxoratus vi status sui non tantum Deo, sed uxori quoque tenetur, sicque præfert cælibatum conjugio; in Græco *τὸ divisus est* connectitur cum versiculo sequenti, ubi ponitur tantùm discrimen inter virginem & nuptam: quare Hieronymus (*f*) tenet, præfatam lectionem Græcorum codicum non esse Apostolicæ veritatis. Item Vulgata (*g*) *Primus homo de terra terrenus*, *secundus homo de Cælo cælestis*; Græcus constanter legit: *secundus homo Dominus de Cælo*, quam permutationem Tertullianus Marcioni tribuit. Vulgata tandem (*h*) *omnes quidem resurgemus*, *sed non omnes immutabimur*, intellige in melius, ut expendit Dion. Carthusianus (*i*) quia soli electi gloriose resurgent; in Græco habentur: *non omnes dormiemus*, *sed omnes immutabimur*, quid absurdius? *non omnes dormiemus?* anne mors quæ Christo non pepercit, homines postea prope extremum diem existentes immunes dimittet? annon Scripturæ, Patres, expe-

(a) *Rom. XII. v. 2.* (b) *Apud Serar. cit. p. 77. col. 1.* (c) *V. N. 22.* (d) *Epist. CII. ad Marcellam Tom. II. p. 669. E.* (e) *1. Corinth. VII. v. 33.* (f) *Lib. 1. contra Jovin. cap. VII. Tom. II. p. 508. F.* (g) *1. Cor. XV. v. 47.* (h) *Loco cit. v. 51.* (i) *Apud P. Horatium a Palma hoc in loco.*

experientia clamant, omnes nullo excepto morituros? quisne mortem tunc aufugiet quum erunt signa in sole, & luna, & stellis, in terris pressura gentium, virtutes cœlorum movebuntur, ut vaticinatur Christus (*a*). Quàm apertissime ergo constat, hodiernos Græcos Hæreticorum commentis esse obnoxios.

SECUNDUM.

164. Proferant nobis Adversarii codicem illum Græcum, quem putant magis integrum esse atque sincerum, & consequenter aptiorem ad corrigendam Vulgatam iis in locis, in quibus discordat; nuncient quo auctore, quo typographo, quo tempore editus est, quis hujusmodi gemma fruitur? satis modo (*b*), dicere habeo: Robertus Stephanus, Waltono teste, (*c*) in sexdecim codicibus Græcis, 2384. varias lectiones & 280. deficientia loca, notavit; porro neminem eruditorum latet, Robertum fuisse celebrem typographum Calvinismo addictum, & accuratam operam adhibuisse pro habendis exactioribus exemplaribus, quod si nihilosecius tot varietates, totque interpolationes deprehendit in istis quid dicendum de aliis minus correctis; & consequenter si nullum exemplar Græcum invenitur quod peculiaribus erroribus non scateat, consectarium videtur, hodiernum Græcum fontem turbide fluere, proindeque minime posse nobis esse præsidio ad condemnandam ut vitiosam, vel emendandam Vulgatam ubi a Græco fonte discrepat; *Quando*, erudite animadvertit Abulensis (*d*) *sunt multi libri, & omnes concordant,*

(a) *Luca* XXI. v. 25.

(b) *Quum cap.* V. *hujus Demonstrationis mihi curæ erit haud levibus momentis ostendere, nullum ex tot fere innumeris exemplaribus biblicorum Textuum & Contextuum orientalium, quos duobus & plus ab hinc seculis nostri Philologi publici juris fecerunt, reperiri, quo ipsimet amica consensione fuerint contenti, ut potius de plerisque vitiis non accusent.*

(c) *Proleg.* VII. §. 15. *p.* 283. *col.* 2. (d) *Comment. in Proleg. II. Herony. ad quatuor Evang. Tom. I. in Matthæum p.* 36. *col.* 1.

dant, sunt multi codices, & unicum exemplar, sicut nunc est in Bibliis nostris, quia omnes concordant. Quando autem quilibet discordat ab alio, tot sunt exemplaria quot codices, quia exemplar est liber, per quem alii transcribunt. Cùm autem libri inter se discordant, unus non est tractus ab alio: ideo non est unus liber exemplar alterius, sed quilibet per se est exemplar. Quod si hujusmodi discrepantia cernitur in codicibus Græcis, sane repetere possumus quod olim de Latinis Bibliis scripsit Hieronymus: (a) *Tot enim sunt exemplaria pene quot codices.*

165. Dices: sed Hieronymus propter istam rationem, quod nimirum tot erant exemplaria Latina quot erant codices, idcirco a Latinis codicibus provocavit ad fontem Græcum; *sin autem veritas*, immediate subdit eo locil, *est quærenda de pluribus cur non ad Græcam originem revertentes ea, quæ vel a vitiosis Interpretibus male reddita ... corrigimus*? itaque saltem tempore Hieronymi Textus Græcus limpide fluebat. Ast argumentum utique vim haberet si Hieronymus non satis sese explicasset. Eadem quippe præfatione tradit suo tempore jam circumferri exemplaria Græca Novi Testamenti edita a Luciano, & Hesychio quibus utpote perspicuis corruptelis obnoxiis pauci tantùm, & contentiosi homines utebantur; ob idque haud istorum editionibus ipse fidem habuit: *Prætermitto*, inquit, *eos codices quos a Luciano, & Hesychio nuncupatores paucorum hominum asserit perversa contentio ... cùm multarum gentium linguis Scriptura ante translata doceat falsa esse, quæ addita sunt*; tradit quoque se emendasse Vulgatam Latinam non quidem ex uno exemplari Græco, sed ex collatione multorum, & potissimum eorum quæ vetustiora erant: *igitur*, pergit, *præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantùm Evangelia... codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum*. Si enim daretur eo tempore exemplar unum Græcum Novi Te-

(a) *Præfat. ad Evang.*

ſtamenti quod pro integro, & undequaque limpide fluente Hieronymus agnoſceret , ut quid recurrere ad vetuſtiora exemplaria? cur inſuper adinvicem iſta conferre? recurſus igitur quem a codicibus Latinis Hieronymus inſtituit ad Græcos minime argumento eſt inferendi puritatem Græci fontis.

TERTIUM.

166. Nec tempore Hieronymi (ut modo viſum eſt) Textus Græcus Novi Teſtamenti expers erat inſignium corruptelarum; ergo multo magis hodie. Illatum probavimus alibi; (*a*) conſentaneum ergo erit accedamus ad aliud.

QUARTUM.

Directe contra nonnullos Catholicos arbitrantes oppoſitum.

167. Eodem quippe Salmeroniano momento quo antea uſi ſumus. (*b*) Si hodie integra ſunt ac ſincera volumina Græci fontis neceſſariò confitendum eſt, editionem Latinam Novi Teſtamenti ubi a Græco diſcordat falſam eſſe, ac depravatam; at hoc quid aliud eſſet, quàm dicere Eccleſiam Græcam majori, ac clariori ſpecimine benevolentiæ Dei gaudere quàm Eccleſia Latina, quæ poſita eſt in columnam, & firmamentum veritatis, in qua regnat legitimus Chriſti Vicarius, ac ſucceſſor divi Petri, de qua verificatur illud Chriſti: (*c*) *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, & aliud: (*d*) *ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. Item ſi datum erit Græcis audire editionem Latinæ Eccleſiæ depravatam, & vitioſam ubi diſcrepat ab ipſorum fonte, dubio procul

(a) *N. 69.* (b) *V. Nu. 74.* (c) *Matth.* XVI. v. 18.
(d) *Cap.* XXVIII. v. 20.

cul insultabunt nobis sese jactitantes, nihil nos in Novo Testamento veritatis habere nisi dependenter a suis codicibus. Heinc (si fas est dicere) adversarii videntur esse legitimi successores eorum DD. Latinorum, qui Hieronymianæ Latinæ versioni acriori bile se opponebant quam ipsi Græci: *quanto magis*, ita quærebatur Hieronymus (*a*) *Latini grati esse deberent, quod exultantem cernerent Græciam a se aliquid mutuari*.

168. Ut verò quæ occasione consimilis momenti notavimus in superiori capite hic facilius adaptari possint, animadvertendum cum Bellarmino (*b*) fuisse consuetudinem Græcorum libros falsare, & quidem ut commodius Romanis dogmatibus sese opponere possent. *Erat*, inquit, *consuetudo Græcorum fere ordinaria corrumpendi libros*; quod erudite probat *primò* testimonio PP. Sextæ Synodi, qui deprehenderunt plurimas corruptiones factas a Græcis Hæreticis in actis Concilii V. *Secundò* Leonis Papæ in Epist. LXXXIII. ad Palæstinos, ubi conqueritur de Græcis qui haud fuerunt veriti, Leone vivente, constuprare Epistolam quam scripserat ad Flavianum. *Tertiò* Gregorii Magni asserentis (*c*) Constantinopolitanos conspurcasse Synodum Chalcedonensem, sicut idipsum suspicari de Ephesina. *Quartò* Nicolai I. (*d*) monentis Imperatorem ad consulendam Epistolam Adriani Pontificis cum sequenti clausula: *si tamen non falsata more Græcorum, sed sicut a Sede Apostolica missa est*. Quod si tandem Græcorum temeritas eò pervenit, ut non vereretur falsare scripta, quorum auctores vel paulo ante a vivis sublati erant, vel etiam in vivis agebant, quid criminis falsi erga Græcum fontem, quo firmius convincebantur de suis heresibus, eos perpetrasse coniiciendum non erit? etsi hæc omnia moliebantur in odium Romanæ fidei, ut ex nuper

 dictis

[a] *Præfat. in Esdram*. [b] *De Romano Pontif. Lib.* IV. *Cap.* XI. *col.* 825. *C.* [c] *Lib.* V. *Epist. Epistola* XIV. *ad Narsem*. [d] *Epist. ad Michaelem*.

dictis liquet, quomodo erit credibile in rebus fidei, & morum Græcum fontem nuſpiam, & nullibi polluiſſe? fortaſſe ad fidem non pertinent, & mores corruptelæ, quas in codicibus veteribus Græcorum taxarunt Irenæus, Hilarius, Ambroſius, aliique Eccleſiæ proceres, & in hodiernis quoque notant eruditi, potiſſimum illud Joannis: *tres ſunt qui teſtimonium &c.* illudque Apoſtoli *tempori ſervientes.* Demum ne ad tædium repetamus, quæ occaſione Hebræi Textus (*a*) dicta, ad hunc locum proportione ſervata quiſque redigere poterit.

§. IV.

Diluuntur objecta.

169. Nec utilitas, nec neceſſitas poſtulat, ut tempus conſumam in diſcindendis iis objectis, de quibus in ſuperiori capite actum eſt; ea de re ſi ſciſcitabitur quando Textus Græcus ab Hæreticis pollutus fuit, repones, ante tempora Irenæi, & Origenis; ſi inſtabitur, ſtatuta conſtupratione Græci fontis ante tempora Hieronymi, infertur, *primò* Chriſti Eccleſiam ab Irenæi temporibus expoliatam fuiſſe integritate Scripturarum quoad Novum Teſtamentum; *ſecundò* Vulgatam noſtram quoad eamdem partem vitioſam eſſe, ut quæ ex Græco corrupto ceù infirma proles ex parente infecto, & turbatus rivulus ex cænoſo fonte prodiiſſet, repetes pro ſolutione primi, Eccleſiam propter corruptelas irreptas in Textu Græco caruiſſe integritate Novi Teſtamenti penes quemlibet peculiarem codicem Bibliorum diſtributive acceptum, minime tamen in omnes collective ſumptos: (*b*) pro poſteriori uteris doctrina jam conſignata (*c*) quod nimirum Hieronymus in emendando Novum Teſtamentum haud

[a] *A n.* 80. [b] *Peſſum eas ad num.* 120., *& ſeqq.*
[c] *N.* 125., *& ſeq. &* 165.

haud usus est præsidio solius Græci Textus, sed cæterarum versionum Latinæ, Syriacæ, Arabicæ &c.; neque unius Græci codicis, sed plurimorum, & quidem vetustiorum. Si objectent, Romana Ecclesia monitis, gratiis, & privilegiis tam studia quàm studiosos Linguæ Græcæ fovet, late supra deprompsimus (*a*) quo rectissimo fine id intenderit, atque intendat. His igitur aliisque, quæ satis acta sunt, prætermissis, ad quæ supersunt propero.

170. *Objicies* I. Cum quodam hodierno critico. Eidem quippe pici immersus es quo doctiores Catholici antea occurrerunt propter oscitantiam, vel imperitiam critices qua ante ætatem nostram Theologi nonnulli laborarunt. Salmeron, Stapletonus, Bellarminus, Dominicus Gravina, Serarius, Gotti cæterique tenent, Hieronymum evicisse Textum Græcum de corruptelis quoad illa verba Apostoli. *Domino servientes*, & hæc alia *quomodo placeat uxori & divisus est*, (*b*) & tamen cuique legenti Hieronymianum Textum compertum fiet, illum sermonem habere non de Græcis, sed de Latinis codicibus: *Non adeo* en Hieronymi verba (*c*) *me hebetis fuisse cordis, & tam crassæ rusticitatis.... ut aliquid de Dominicis verbis, aut corrigendum putaverimus, aut non divinitus inspiratum; sed Latinorum codicum vitiositatem*: quo posito ita pergit Sub lit.E. *Illi legant*, spe gaudentes tempori servientes: *nos legamus*, spe gaudentes Domino servientes. Quibus cuique innotescit per Hieronymum non Græcos, sed Latinos habuisse vitium: *tempori servientes*. Idipsum expressiusque eruitur ex altero Hieronymiano loco. *Nunc illud*, scribit (*d*) *breviter admoneo in latinis codicibus hunc locum ita legi*: divisa est virgo & mulier. Ecquis igitur tam cæcutiens qui non agnoscat hujuscemodi Catholicorum *fallum*.

171.

(a) *V.N.*133. [b] *De quibus supra n.*163. (c) *Epist.CII. ad Marcel.Tom.II. col.* 669. C. [d] *Lib. I. adver. Jovin. Cap. VII. Tom. II. col.* 328. F.

171. *Respond.* Mirabile dictu, quod is qui gloriatur se ad rigorosam crisim exactoque criterio revocare omnia, hoc in casu ita excipiat verba Hieronymi, ut serpens ad caudam canis prolabitur. Ex eodem Hieronymiano Textu bene cernitur, Sanctum virum agere contra suos obtrectatores, qui haud deprehendentes nonnulla vitia Græcorum codicum transfusa quoque in Latinos, propter hujusmodi vitiosam concordantiam tuebantur lectionem Latinorum codicum, & simul criminabantur Hieronymianam versionem, tamquam ex capite suo somniatam: quamvis ergo Hieronymus tam in Græcis quàm in Latinis præfata vitia repererit, quia tamen ipsius scopus tendebat ad corrigendam Latinam editionem, idcirco inquit: *Latinorum codicum vitiositatem* & infra *in Latinis codicibus*. Et sane quis ipsorum quoque Hæreticorum denegare audebit, tam antiqua, quàm hodierna exemplaria Græca non constanter legere; *tempori servientes: divisa est virgo & mulier*. Ne longum funem super re inepta traham, quoad *primum* idem Erasmus (*a*) fatetur Origenem, Ambrosium, & Hieronymum apud exemplaria Græca invenisse *tempori servientes*: quoad *secundum* Jacobus Cappellus, *sane*, inquit (*b*) *quidam codices Græci sic ut vult Hieronymus legunt*, *Rober. Stephano teste:* & Erasmus (*c*) *quod Hieronymus scribit esse in Latinis codicibus*, *hodie in Græcis habetur;* fatius tamen, atque adcuratius si dixisset: *quod Hieronymus scribit esse in Latinis* & Græcis *codicibus*, hodie in solis Græcis perseverat. Meritò igitur præfati Theologi in testimonium corruptelarum Græci fontis laudant Hieronymum, sicut e contra condemnata videntur in quibusdam Criticis quæ in veteribus falso criminantur. Quod si postea quis instabit: hæc adversari Hieronymo, qui

(a) *Apud Crit. Sacr. Tom. IV. par. II. col.* 2754. (b) *Apud eosd. Tom. V. par. I. col.* 119. (c) *Eodem Tom. V. col.* 90.

qui quippe (*a*) profitetur accepisse præceptum a Damaso Papa, ut id in sua versione, sive emendatione seligeret, quod agnovisset cum Greca veritate consentire. *Novum* ita Damasum alloquitur *opus me facere cogis ex Veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa quasi quidam arbiter sedeam; & quia inter se variant, quæ sint illa, quæ cum Græca consentiant veritate, decernam*: ast semel concesso quod quibusdam in locis tam Greca quàm Latina spirassent vitia, plane Hieronymus datis in locis aut inemendata reliquit Latina, ne scilicet discederet a Grecis, aut si castigavit Latina ubi consentiebant cum Grecis minime Damaso paruit. Ad quod, preceptum Damasi ab Hieronymo, quàm fidelissime expletum eò tantùm collimavit, ut emendaret Latina ad finem non quidem eorum omnium quæ in vitiatis codicibus Grecis comperiebantur, sed eorum dumtaxat que ex collatione plurimorum & quidem vetustiorum deprehendebat puritatem spirare, ut non semel dictum est, & ex eadem præfatione cujus verba nuper descripsimos. (*b*)

172. *Objectio* II. Multi Græci codices referunt Historiam adulteræ, versiculum Joannis, ultimum capitulum Marci, necnon alia de quibus tamquam corruptelis caussaris; ergo hodiernus Græcus quoad prefata loca limpide fluit.

Respondo negando consecutionem, quia ex antecedenti tantùm infertur, quod hodierni Græci codices non sint omnes depravati quoad eadem Scripturarum loca; non autem quod sit codex aliquis Græcus omnis corruptionis expers. Quid quod hosce profecto Græcos codices Hæretici minori in auctoritate ostendunt habere, quum non semel revocent in dubium canonicitatem horum locorum; atque hujusmodi veritate arrosa progrediuntur ad taxandam Vulgatam, ut quæ in Novo Temen-

(a) *Præfat. ad Quatuor Evangelia*. (b) *Num.* 165.

ſtamento ea complectitur tamquam canonica, quæ apud Græcum fontem dubiam habent fidem? Heinc Beza, teste Serario (*a*) majorem fidem adhibuit exemplaribus silentibus Historiam adulteræ, quam aliquibus qui referunt: Drusius, Scaliger, Casaubonus haud dignati sunt, commentariis in Evangelia, suis interpretationibus hanc Historiam illustrare. Lutherus maluit in sua germanica versione non adoptare laudatum versiculum Joann. *Tres sunt qui testimonium &c.* licet aliqui hodierni Græci referant. Quod tandem ultimum capitulum Marci in omnibus fere hodiernis Græcis habeatur, firmum argumentum nobis suppetit conjectandi hodiernum Græcum nec etiam respondere ei, qui Hieronymi tempore circumferebatur. Namque Hieronymus (*b*) aperte testatur ab omnibus codicibus Græcis absfuisse: *omnibus*, inquit, *Græcis libris pene hoc capitulum in fine non habetur;* & consequenter experimento fit compertum, post tempora Hieronymi nonnulla perspicua vitia in fontibus restituta fuisse, ut hujusmodi lenocinio eruditi ad præstandam majorem fidem illis allicerentur, & pro minus suspectis haberent; at in ignem imposuerunt manum, quia sic splendidius clarescit major corruptio Græci fontis, quoniam nedum non correspondet originali, sed nec ei quo Hieronymus usus est (*c*).

173. Postremò tam adversariorum objectum, quàm eorumdem doctrina in responsione relata invicte probat magnam dissentionem, sæpe numero Græcorum codicum quos in manibus habemus; verùm quis ignorat dissentionem esse certitudinis, & veritatis validam inimicam; hinc repeto quod olim Hieronymus opponebat suis æmulis detrahentibus suæ emendationi Novi Testamenti, ut quæ interdum discedebat a veteribus codicibus Latinis. *Si enim*, inquit (*d*), *Latinis exemplaris fides*

(a) *Cit. p. 77. col. 2.* (b) *Epist. CL. ad Hempidiam q. III. Tom. III. fol. 802. A.* (c) *V. N. 69.* (d) *Ep. ad Damasum quæ est præf. in Evangelistas.*

fides est adhibenda : respondeant quibus ? tot enim sunt exemplaria quot codices : pari methodo dicam , si ad votum , & sententiam adversariorum hodierni Græci tam frequenter dissentiunt , ut vere fas sit dicere , tot sunt exemplaria quot codices , cuine istorum tamquam integro, sincero, & puro consensum nostrum accommodare debebimus ? Repones, saltem illi Græco quo hodie Græca Ecclesia Romanæ Sedi conjuncta utitur ; at in primis Hæretici, & Græci Schismatici minime hoc Textu contenti sese declarant ; quoniam dicunt non esse Textum Græcum purum , sed ad normam Vulgatæ Latinæ castigatum : pro eo enim Græco ipsi militant propter quem valeant revocare in dubium tum Vulgatæ authentiam , tum eas lectiones Vulgatæ ex quibus ipsius errores evincuntur; quem finem bene noscunt assequi se non posse , si in medium proferatur ille Græcus Textus cujus usum Cræco-catholici modo habent. *Secundò* haud usque modo nobis constat, hujusmodi Græcum codicem esse ab omnibus mendis absolutum: solam Vulgatam Latinam veterem, scimus, Concilium Tridentinum authenticam declarasse, pro hac sola perpolienda a mendis irreptis Romanam Sedem summas adhibuisse curas ; & de allegato Textu Græco? nullam in illius favorem sanctionem Ecclesiæ, nullamque ad ejusdem emendationem adhibitam diligentiam invenio , nihil mihi compertum est , quo tenear ad asserendum, Græco-Catholicorum bibliacum codicem esse corruptelarum expertem, vel tantæ auctoritatis ut præferatur, vel æquivaleat Vulgatæ Clementis ; licet ut modo dicam , prudentis , ac religiosi viri sit credere Novum Testamentum quo utuntur hodierni Græco-Catholici emendatum a vitiis illis , quæ vel fidei , vel Vulgatæ aperte obstant.

174. Objicies III. Si Græcus Textus Novi Testamenti esset corruptelis obnoxius , plane Ecclesia Orientalis quæ isto utitur in publicis lectionibus non haberet veram , & au-

thenticam Scripturam; quare ratiocinatur Waltonus (a) *Si sola Vulgata Latina sit authentica quid dicent* Romani Doctores *de Græcorum Ecclesia, & omnibus Ecclesiis Orientalibus, quæ Græca, vel Syriaca, vel Æthiopica versione utuntur? an dicent eas veras scripturas, & Verbum Dei non habere? At statuunt inter ipsos doctiores, Ecclesiam Græcam si Rom. reconciliata esset Græcam versionem etiam retenturam?*

Respondeo I. Eodem suo argumento adversarios præfocando. Si Textus Græcus Nov. Test. limpide fluit, plane Ecclesia occidentalis quæ non utitur Textu Græco non haberet veram, & authenticam scripturam. Sic pariter insectamur Waltoni momentum; si quoad Novum Testamentum solus Græcus fons est authenticus quid dicent adversarii de Latinorum Ecclesia, omnibusque Ecclesiis occidentalibus, necnon multis orientalibus quæ neque Græco Textu utuntur, quarumque respectu nec centesimam partem repræsentant paucæ illæ Ecclesiæ, quæ in publicis lectionibus assumunt Græcum fontem? fortasse levius incommodum erit istud, atque illud quod & nobis objectum est? Hæc tamen dixi non quidem studio solvendi argumentum, sed potius ponendi in apricum dolosam methodum, qua Waltonus aliique Hæretici nituntur id suadere fidelibus, quo progrediantur ad dubitandum de authentia omnium prorsus sacrorum codicum sive fontium, sive versionum: namque si ex eorum nuper datis argumentis recte infertur, Ecclesiam Græcam non habere veras Scripturas, pariter ex nostris recte inferetur omnes Christi Ecclesias, quæ in publicis lectionibus non assumunt Græcum Textum, veris authenticisque scripturis carere; atque ita ex mutua collisione Græci fontis hodierni & suarum versionum, id in omnium fidelium animis necessario gigni, quo rationabiliter valeant æque dubitare tum de sinceritate & authentia Græci fontis, tum-

(a) *Proleg. X. §. ult. p. 361. col. 2.*

tumque omnium versionum etiam Vulgatæ Latinæ ; sicque quisque inducetur ad tenendum, nullam Christi Ecclesiam certo gaudere integro, & authentico Dei verbo. Hoc sane tentarunt subducere Hæretici ante Concilium Tridentinum : huic diabolico malo Tridentini Patres, peculiari Spiritus Sancti assistentia edocti, provide occurrerunt, definientes, Vulgatam Latinam veterem esse ipsum Dei verbum ; modo quod instat expediam.

175. *Respond.* II. si sermo fiat de Ecclesia Græco-Schismatica, *non erubescerem*, repeto cum Eminentissimo Gotti (a) *concedere eam* Ecclesiam, *sicut caret vera Fide, carere itidem authentica Scriptura*. Si verò loquamur de Ecclesia Græco-Romana, hæc profecto habet veras Scripturas, verumque Dei verbum, non quidem in eo solo codice quo utitur, sed in omnibus simul, & undique collectis bibliacis exemplaribus ; qua lege Ecclesia quoque occidentalis a temporibus Justini ad usque Hieronymianam versionem Dei verbum habuit, & denuo in eumdem statum rediit, quum longo seculorum fluxu irrepserunt menda exscribentium oscitantia, & temeritate ingeniolorum in eadem versione Hieronymi; a qua tandem alterna vicissitudine ad plenum liberata est, quum Hieronymiana versione summis curis ad pristinum nitorem redacta, Clemens VIII. solertissimam diligentiam adhibuit, ne in posterum emendatus Textus Vulgatæ vel quoad minimam voculam corrumpi possit. Legesis Bullam Clementis incip. *Cum Sacrorum Bibliorum* superius consignatam [*b*]. Nunc verò de Ecclesia orientali, quæ Romanæ Sedi abhæret: quamvis enim pro certo habeam, codices, quibus in publicis lectionibus, & officiis ista utitur, nullum complecti errorem in fide, & moribus ; & eo quippe sensu intelligi ab illis Ecclesiasticis Ministris quo cum Vulgata Latina perfecta consonantia resultet ;

 (in-

(a) *De veritate Relig. Cap.* VIII. §. III. *N.* XXX. *Tom. I. p.* 172.
(b) *Cap. Prodromo n.* XXXII. *& aliam num.* XXXIII.

(incredibile enim est Romanæ sedi eos obtemperare, & simul nolle adhærere sensui Vulgatæ quam Concilium probavit] nihilo tamen secius haud illa Ecclesia potitur privilegio quo gaudet Ecclesia Latina habendi scilicet integrum, & legitimum Dei verbum in uno solo codice Vulgatæ Clementis; ex eo quia numquam Apostolica Sedes unum talem codicem Græcum authenticum declaravit: *Non esse tamen*, suffragatur nuper laudatus Gotti *habendam ut authenticam* Scripturam Græcam *quia Ecclesia Catholica eam talem non declaravit*.

176. Ex quo, ni fallor, apparet nullius roboris esse adversariorum momentum, quoniam licet Ecclesia Græco-Romana non habeat Scripturam authenticam in uno solo codice, tamen in tota biblicorum codicum collectione vere, verissime habet. [*a*] Lubet pensiculatius rem expendere. Inter omnes Christi Ecclesias Romanam fidem profitentes, eæ solum gaudent privilegio habendi Scripturam authenticam in uno solo codice, quæ utuntur Vulgata Latina Clementis VIII. quæ verò publico usu habent Bibliam traditam aliis Linguis, sive Græcis, sive Syriacis &c. habent quidem scripturas veras, verumque Dei verbum, sed non in eo solo codice quo utuntur; bene verò in tota biblicorum codicum universitate. Neque istarum felici sorte participant cæteræ Christi Ecclesiæ quæ Apostolicæ sedi non parent, tum ob corruptelas in rebus fidei & morum quas earum codices complectuntur, tum ob obstinatam resistentiam qua nolunt fontes interpretari, & intelligere ad normam Vulgatæ Clementis: qua de caussa sicut voluntarie respuunt legitimas lectiones quæ absunt a suis codicibus, & continentur in Vulgata Clementis; ita nec in ipsa omnium biblicorum codicum universitate censentur habere veras Scripturas, verumque Dei Verbum.

177. Jam verò ad doctiores Romanæ Ecclesiæ, de quorum

(a) *V. N.* 120. *& seq.*

rum suffragio Waltonus gratulatur, accedam. Doctorum enim Catholicorum sensus est, quod si Ecclesia Græca a Sede Apostolica separata reconciliaretur, eamdem utique suam retineret Bibliam quoad Græcum idioma, non autem quoad hæreses si quæ in ea continerentur, vel corruptelas quibus opponeretur Vulgatæ Latinæ, quia relate ad istas corrigeretur ea Biblia ad Vulgatæ normam. Nec aliter intelligendus est Andradius (cujus verbis eo loci Waltonus fidit) afferens: *Ecclesia Christi non exiguis occidentis finibus, quibus Latina editio familiaris est, continetur; sed per omnes nationes quæ Christo Jesu dederunt nomina, & vera fide Christum prosequuntur, licet Latinam linguam non intelligant, & Vulgata editione sint prorsus surdi; atque ita minime putandum veniat in hac sola esse Scripturam veram, & incorruptam*: hæc Andradius; quoniam & nos quoque fatemur, quamlibet Christi particularem Ecclesiam cujuslibet gentis, & nationis, dummodo fide vera idest Romana catholica prosequatur Christum, veram haud dubie possidere, & integram sacram Scripturam, licet nec Vulgatam usu habeat, nec Latinum intelligat: privilegium enim peculiari providentia Spiritus Sancti largitum Latinæ Ecclesiæ, habendi in uno solo codice sacram Scripturam plenissime integram, minime impedit quo minus Scythæ, Indi, Græci, Brachmanesque, cæteræque Catholicarum nationum universitates veram habeant, integramque Scripturam; quia ex quo communicant cum Romana Ecclesia, præsumitur, eas uti codicibus bibliacis qui nec contineant errorem in fide, & Vulgatæ editioni fideliter respondeant: consequenter si prioribus Seculis Ecclesia vere possedit Scripturarum integritatem, tametsi nullum codicem unum haberet vitiorum graviorum expertem, quanto magis hoc beneficium conveniet hodiernis Ecclesiis Catholicis dissitarum nationum, quæ ex quo militant sub Romano Pontifice, fiunt participes tam plenissimæ integritatis Scri-

ptu-

pturarum, quàm legitimæ interpretationis earumdem.

178. Objicies IV. Depravatio Textus Græci vel facta est ab Hæreticis, vel a Græcis Schismaticis in odium Latinorum; certe non a primis, quum nuspiam defuerint optimi tutores Catholicæ Ecclesiæ qui de constuprationibus Marcionistarum, Arianorum, aliorumque ejusdem furfuris admonuerint fideles; hinc illud Epiphani contra Marcionem; *Etsi tu non relinquas Scripturam, quemadmodum a Salvatore pronunciata est: servantur tamen ista loca in Evangelio Sanctæ Ecclesiæ*, & postea, *etsi enim absciderit illud non abscidit a nobis, sed se suosque damno affecit: satis enim refutatur testimoniorum pluralitate*. Neque a Græcis, quia ea maxime depravassent loca de quibus emersit litigium inter Ecclesiam Græcam, & Latinam; porro hæc in Græco fonte cernimus manere illibata, & aliunde probe illi noscebant, quod si hæc loca constuprassent potius sibimetipsis fuissent nocumento, quia sic latam viam stravissent nobis jure denegandi quidquid suo Textu opponerent Latinæ Ecclesiæ: convicto enim instrumento aliquo de uno falsato loco, & cætera dubiæ auctoritatis fiunt.

Respond. Falsatum fuisse Græcum Textum tam ab Hæreticis quàm a Græcis ut fuse ostensum est; & allegatæ rationes quæ probant oppositum, nimia infirmitate laborant. Qua de re languida est prima, quia etsi veteribus PP. cordi fuit, atque vigilanti curæ notare blasphemias Hæreticorum fraude irreptas in Græco Textu, tamen quum longe pauciores essent iis qui vel ob malitiam, vel ignaviam, vel oscitantiam sinebant eas in sacris codicibus inijici, quàm faciliter accidit, ut temporis decursu nullus codex immunis evaserit; *secundò* non obstante vigilantia veterum adhuc nonnullæ corruptelæ in hodiernis codicibus cernuntur, quas iidem jamdudum taxaverunt, (*a*) *tertiò* parem diligentiam adhibuerunt PP. ne constupraretur

(a) *V. N.* 163.

tur Hebræus Textus, Versio Septuaginta, Vulgata Latina vetus, ecquis tamen heinc inferet ista temerata non fuisse? *quartò* annon multi de Ecclesiæ primoribus reapse agnoverunt Græcos codices erroribus scatere, impurioresque esse Latinis? (*a*) & consequenter eò tantum tendunt verba Epiphanii, quod nimirum Marcion minime voluit taliter falsare verbum aliquod Salvatoris ut ex omnium codicum universitate abreperit; quin potius divina protegente gratia accidit, ut multò plures semper extarent codices, quoad locum illum in aliis codicibus constupratum, puritatem spirarent; tametsi ut sæpius diximus nullus codex distributive acceptus limpide flueret. Neque felicioribus ventis enavigat probatio secundæ partis, & ne longius orationem protraham, legesis examen Theologorum (quibus Concilium Tridentinum proposuit discutere quinque articulos spectantes ad sacram communionem, in qua Græci non consentiunt Latinis) & deprehendes sub objectione quinta (*b*) firmis speciminibus ductos, asserere, Hæreticos fraudolenter vitiasse Textum Græcum Novi Testamenti. Quid quod contra factum quævis conjectura evanescit, ut a simili dictum est de Textu Hebræo. (*c*) Idipsum respectu ultimi repetitur: Rabbini quoque bene noscebant, quod si constuprassent Hebræum dubio procul auctoritati hujus detraherent, & tamen ex præcedenti capite claret, eos revera suas litteras polluisse.

179. Juvat præsenti argumento extremam manum imponere, exscribendo clarissimi Patris Dominici Gravina verba, ad rem nostram quàm maxime conducentia. *Verissima*, inquit, (*d*) *est Orthodoxorum doctrina, quod Vulgata Latina judicio Ecclesiæ emendata, atque probata prior sit, atque perfectior ipsis originalibus Græcis, non prout editis a Scriptoribus sacris, sed ut alteratis, & maculatis, & etiam*

(a) *Consule testimonia PP.* §. *II.* (b) *Apud Harduin. Tom. X. p.* 349. (c) *N.* 138. *& seq.* (d) *Catholic. Præscrip. Trac. II. Controv.* v. *Gener. ar. unico p.* 170. *col.* 2.

& etiam propter exemplarium maximam varietatem, dissonantiam, diversitatem, ut non ad fontes Græcos propter hæc sit recurrendum, sed ad Vulgatam, quæ de Græco limpidissimo olim fonte manavit, quam authenticam definivit Ecclesia, quæ fidem facit, & loco originalis habenda est, memorare quæ alibi retulimus. (*a*)

CAPUT III.

De integritate & sinceritate hodiernæ versionis Septuaginta.

180. Quum mihi unice propositum fuerit ostendere Vulgatam hodiernam Clementis VIII. nullum vel levissimum mendum correptione dignum complecti, consectarium est, id solum de hujusmodi admiranda versione ad exactiorem trutinam revocem, quod suscepto instituto propius conducere videtur: Hæc igitur caussa est, unde de præcipuis ambiguitatibus, quæ in hoc argumento insunt, quasque eruditi in suis scriptis pro more excitant, stricta methodo absolvam; & solum circa integritatem, & sinceritatem hodiernæ versionis Septuaginta pressius figam pedem.

§. I.

De Historia versionis Septuaginta.

181. Ad tabulam Chronologicam eruditorum, potissimum celebris Augustini Calmet (*b*) non multis ab hinc mensibus sublati e vivis; anno a mundi Creatione 3727., ante Christum annis 273. accidisse fertur versio, quam ex Hebræo in Græcum sermonem reddiderunt Septuaginta duo

(a) *Cap. Prodr. num.* XIII. (b) *Dissert. in S. Script. Tom.II.p.386.*

ta duo Seniores. Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti honestarum artium, litterarumque cultor ingenti studio captus construendi, ornandique celeberrimam Bibliothecam in ea Urbis regione, quam Bruschium vocabant, eò perfectionis brevi temporis spatio hæc feliciter pervenit, ut ex totius Orbis regionibus collectis codicibus, non minus quàm ducentis mille ditata fuerit. Postmodum suadente Demetrio Phalereo viro Atheniensi doctissimo, Rex exoravit Eleazarum Summum tunc Pontificem Judæorum Onię primi filium, Simeonis justi fratrem ut sibi mitteret Doctores Judaicæ Legis, necnon utriusque Linguæ, Hebraicæ scilicet & Græcæ peritos, a quibus valeret Græco sermone accipere Legem Dei Israel, atque hujus quoque codicibus suam Bibliothecam exornare. Ut verò ardentissimi voti facilius compos fieret, proponentibus Aristæa Hyperapsista, Sosilio Tarentino, & Andrea corporis regii custodibus, solvi mandavit supra centum viginti mille Judæos quos captivos tenebat, & in grati animi monumentum restituit Eleazaro; misso quoque Aristæa auctoritate regia fulto cum donariis amplissimis, & pretiosissimis Hierosolymitano Templo offerendis. Votis inclyti Oratoris quàm libentissime annuit. Eleazarus, quippe qui delectis Septuaginta duobus Senioribus ex qualibet tribu præsbyteris qui, pro voluntate Regis imperata, adamussim valerent exequi, totidem quoque datis sacris codicibus, pręter alium aureis litteris conscriptum, additis tandem gravibus litteris agnoscentibus præfatam beneficentiam Regis, omnia ad Ptolomęum direxit.

182. Difficile dictu est quàm maximo Rex sapiens susceperit Seniores honore, gaudio, & reverentia. Lętitia, pietateque mixtum diem adventus illorum celebrat, devotione lachrymatur, regia sua mensa dignos eos efficit, & intervallo septem vel duodecim dierum, quos domestico convictu excepit, propositis singulis singula proble-

mata dissolvenda, ex acceptis responsis eorum sapientiam, pietatemque experimento comperit. Deinde in insula Pharon, septem stadiis ab Alexandria separata Basilica constituta cum distinctis cellulis, huc, utpote locus remotus a tumultu, & idoneus contemplationi, Seniores, duce Demetrio, mittit; quò perventi, & aggressi demandatum opus, spatio septuaginta duorum dierum, mirabiliter absolvunt. Versione peracta, atque perlecta coram Sacerdotibus, Principibus, ac universo populo Judæorum; astantibus quoque Interpretibus, & ipso Rege, deprehenditur, & confitetur, eam rectam esse, sanctam, & per omnia perfectam. Posthæc Rex pronus reverenter eandem adorat, poni jubet tam exemplaria Hebraica, quàm Autographa versionis in regia Bibliotheca, dira imprecantur si quis in ea aliquid immutaret addendo, detrahendo, vel transponendo: datur pariter facultas Principibus Synagogæ Judæorum, ut exemplaria in proprium usum describerent, instituitur pro accepto beneficio anniversarius dies festus tam admirabilis tranlationis, & tandem Ptolomæus, *qui tantùm*, hanc laudem Philo Ptolomæo tribuit (*a*) *inter eos* puta Principes suæ familiæ *præminuit*, *quantum caput in corpore* haud manu vacua Seniores dimittit. Tres vestes optimas donat singulis, sicut & duos auri talentos, unius talenti calicem; item per eosdem mittit Eleazaro Pontifici decem lectos, argenteis pedibus, conopeisque correspondentibus suffultos, calicem triginta talentorum, stolas decem, purpuream coronam aurem gemmis ornatam, & byssina linteola circiter centum. Legesis Salmer. (*b*) Frassen (*c*) isthæc, & alia ex Aristæa, Josepho, atque Philone percensentes.

183. Si verò fortunam versionis spectemus, videtur indubium, ex eo jam tempore, quo confecta fuit, Judæos cæpisse in publicis, & privatis lectionibus loco Hebræi Tex-

(a) *Lib. II. de Vita Moysis p. 454. col. 1.* (b) *Proleg. V. sub init. p. 41.*
(c) *Disquis. Biblic. Lib. II. Cap. III. p. 133.*

Textus usurpare, eaque tempore Christi, & Apostolorum uti in Synagogis; & quamvis post passionem Domini Rabbiui ægre ferentes, ex testimoniis istius versionis de Christiana fide convinci, ut alibi notavimus, (*a*) inchoarint iniquo odio eam habere, adhuc tamen ubi post tria, vel quatuor Secula a Christo nato abjecerunt a Synagogis, Christi autem Ecclesia orientalis semper constanti usu tenuit, & conservavit. Propter dicta, & dicenda refert nube testium rem totam firmare. Aristæas (*b*) tradit, hujusmodi translationem probatam fuisse ab omnibus Principibus Judæorum, Sacerdotibus, & populo. Philo (*c*) quod Judæi experimento quotidiano deprehendebant germanitatem, & consonantiam rerum, & verborum inter primitivum Textum, & hanc versionem; itaut in gratiarum actiones, singulis annis renovabant in insula Pharo solemnem celebritatem. S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Has*, inquit (*d*) *tantùm studiosè meditare Scripturas*, versionis Septuaginta *quas in Ecclesiis confidenter legimus. Multò prudentiores te & religiosiores fuerunt Apostoli, & primi Episcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt.* Hieronym. (*e*) *Quod enim*, inquit, *semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem*, quoniam Christus & Apostoli testimoniis interdum Septuaginta, qua tunc utebantur Judæi, mysteria fidei confirmabant. *Nunc verò*, subdit, *cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria... Alexandria, & Ægyptus in Septuaginta suis Esychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Palestinos codices legunt .... totusque Orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.* Augustinus *hanc* habet (*f*) *tamen quæ Septuagin-*

[a] *N.* 118. [b] *Apud VValt. Proleg. IX.* §. 15. *p.* 322. *col.* 1.
(c) *Lib. II. de Vita Mosis p.* 456. *col.* 1. [d] *Lib.III. adversus heres. Cap.* xxv. *Cathechesi IV. pag.* 37. *B.* (e) *Præfat. in Paralip.*
(f) *Lib. XVIII. de Civit. Dei Cap. XLIII. Tom. VII. col.* 525. *B.*

ta est, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur populi Christiani, quorum plerique, utrum alia sit aliqua sit ignorant. Salmeron (a) *Demonstratio*, inquit, *solida videtur, quod Septuaginta Interpretum editio per trecentos ante crucem Christi annos, & per quingentos post ejus adventum publice in Synagoga Judæorum lecta est lingua Græca, omissa Hebræa, quæ prius legebatur*. Vincentius Gotti (b) *Non solùm enim statim ac facta fuit obtinuit approbationem a Judæis Alexandrinis, ut referunt Aristæas, & Josephus; sed a Synagoga, & Senatu Hierosolymitano suscepta est*: & infra (c) *Editione Septuaginta Seniorum utebatur Ecclesia tempore S. Irenæi, eaque usos Apostolos existimabat*. Neque Hæretici hac in parte dissentiunt, quin libentius dent nobis manus; quare Waltonus ex testimoniis Aristæe, Josephi, Philonis, aliorumqne Scriptorum veterum testantium, versionem Græcam in ipsius exordio approbatam, & receptam, ita argumentatur: (d) *Cum enim publica Pontificis Summi & Synedrii auctoritate hæc versio adornata esset, non potuit non ab omnibus Judæis recipi & agnosci: unde postquam exemplaria inde descripta fuerint, in Synagogis publice lecta, & usurpata sunt*. Amplius assertum nostrum probatu pergit citans testimonium Josephi Scaligeri scribentis: *Per totam Asiam, Græciam, & Ægyptum lectam fuisse in Synagogis* R. Azariæ, Historiæ in Talm. Hierosolym., Grotii, aliorumque, & tandem concludit: *unde videtur colligi posse Dominum* Jesum Christum *versionem Græcam in Synagoga usurpasse: quam postea lingua vernacula, Syriaca, populo explicavit*. Tot igitur veterum & recentiorum testimoniis, arbitror, præfatas propositiones liquatas manere.

184. Examinemus modo oportet compendiosa methodo difficultates præcipuas, quas eruditi hic excitant.

Pri-

(a) *Proleg. V. p.* 48. *col.* 2. (b) *De Ver. Relig. Christ. Tom. I. Cap.* XV. §. IV. *n*: XLIX. *p.* 99. [c] *N. LL p.* 100.
(d) *Proleg. IX.* §. 15. *p.* 322. *col.* 1.

Prima itaque difficultas est de eo libello, qui hujus historiæ quasi fons originarius habetur, & adjudicatur Aristeæ, atque inquiritur: utrum revera Aristæas fuerit auctor, an potius quidam ignotus Alexandrinus Judæus, qui libellum talem sub Aristææ nomine evulgarit? Meo videri longe probabiliora sunt momenta, quæ suadent primum; namque ita tradunt Joseph Hebræus, qui de hac historia differens, passim remittit lectorem ad inspiciendum Aristææ librum; Philo, Tertullianus, Eusebius, Zonaras, necnon Hieronymus; porro quis repugnabit, magis adhærere hisce veteribus qui longe viciniores fuerunt ad tempora Aristææ, quique facilius percipere poterant veritatem, quàm recentiores Neoterici qui solent omnia in dubium revocare, & novas pro arbitrio movere quæstiones? Hic sane non agimus de rebus scientificis & speculativis, sed historicis quarum veritas non detegitur per altitudinem ingenii, sed per visum vel auditum. Cuique pariter est persuasum, antiquiores potuisse magis esse edoctos de rebus antiquitus gestis quàm nos; (a) quum ergo nulla umquam inter veteres Judæos, & PP. Ecclesiæ dubitatio talis emerserit, & Joannes Ludovicus Vives, qui obiit anno 1540. fertur ministrasse fomentum hujus litigii, sequitur &c. *Præterea* nullam firmam rationem invenio, cur Judæi Alexandrini, libellum a seipsis elucubratum voluerint per malitiam Aristææ tribuere; nemo enim gratis malus putandus est; & si qua fuisset causa, maxime ad commendandam auctoritatem hujus versionis; at quis non videt eo in libello altum teneri silentium de partitione cellularum, qua potissimùm ea versio mirabilior, atque celebrior evasit quamque profecto minime Alexandrini siluissent si studio conciliandæ majoris auctoritatis versioni, illum per fraudem Aristææ adjudicassent? Bene animadverto me paulo infra expositurum Aristææ libellum, quoad Historiam ædicularum, fuisse ante

(a) *Consule quæ exposita invenies num.* 210.

ante ætatem Hieronymi a Judæis interpolatum (*a*); verùm Neotericos, a quibus hæc mea qualiscumque conjectura longe abest, haudquaquam juvat; & consequenter arbitror allegatum momentum rite contra eosdem concludere. *Tertiò* incredibile videtur, suppositum mendacium fuisse a pluribus convictum, & a nemine statim detectum: neque dicas libellum fuisse ab uno elucubratum, quoniam omni proculdubio cuique erudito fuisset studio interrogandi ubi? a quo? quove tempore libellus iste lucem adspexerit? atque ita, qua facilitate multorum animos id curiositate affecisset, eadem facilitate fuisset convicta falsitas editoris.

185. Hinc non mirum si firmitate careant quæ in oppositum recentiores objectant, dicentes, non pauca commenta & commentorum indicia in eo libello contineri: *primò* quod Demetrius fuerit præfectus bibliothecæ, & versionem Græcam procurarit, quia testimonio Diogenis Laertii, Demetrius obiit initio regni Philadelphi, & Regi semper in odio fuit. *Secundò* quod senes ad Philadelphum missi delecti fuerint ex singulis tribubus, cum perspectum sit, solam tribum Juda cum Beniamin ex captivitate rediisse ad patriam. *Tertiò* quod nequidem in nomine auctoris libelli habeatur scriptorum consensus; ab aliquibus enim Aristæus, ab aliis Aristæas vocatur. *Quartò* ibi laudatur Hecathæus Abderites, necnon testimonium istius tamquam vetustioris scriptoris, quum contrà constet antiquiorem non esse Demetrio Phalereo; quoniam Suidas, aliique testantur, Hecathæum vixisse sub Alexandri Magni successoribus, vel ut fert Joseph (*b*) familiariter versatum cum Ptolomæo filio Lagi. *Quintò* ibi pariter refertur Epistola Demetrii barbaris scatens vocibus, & tamen nemo hæret, Demetrium magna fultum fuisse eruditione, & scribendi eloquentia. *Tandem* fit mentio Heptastadii, quod nonnisi post Philadelphi tempora constructum.

(a) *V. N.* 193. (b) *Lib. I. contra Appionem*.

ctum fuit. Hæc videntur esse magis evulgata momenta recentiorum scepticorum, quæ si revocentur ad crisim faciliter dispellentur.

186. Hinc *ad primum* ipsa antiquitas clamat ore Aristobuli Philosophi Peripatetici (*a*) alloquentis Ptolemęum Philometorem, *Tota*, inquit, *legis interpretatio sub Rege Philadelpho cognominato abavo tuo, peracta est, Demetrio Phalereo magnum studium adhibente, & totum negotium promovente.* Vide quomodo Aristobolus, qui non longe post tempus versionis Septuaginta floruit, ea confirmat quę in libello Aristęę continentur. Quantum ad testimonium Laertii, scias velim, hunc fuisse religione Epicureum: compertum enim est Historiam Gręcę versionis, quę opera Demetrii excitata fuit nimis contulisse auctoritati Scripturarum, atque ita religioni Judęorum & Christianorum, qui hujusmodi versione utebantur profuisse: verosimile igitur est quod Laertius in odium Scripturarum ubique damnantium systema Epicuri, talia de Demetrio confixit quibus Historia versionis revocaretur in dubium. *Adde* Laertius vixit tertio Seculo, proindeque de gestis Demetrii minus instructus atque Aristobolus, Philo, Joseph Hebręus, Justinus, Irenęus qui Laertio pręivere, & minime subodorati fuere, quod de infelici morte Demetrii Laertius describit. *Ad secundum* licet sola tribus Juda cum Beniamin ex captivitate remearit ad patriam, consequens tamen non est, quod tempore Eleazari Sacerdotis non fuerint in Judęa senes singularum tribuum; quia, ut notat Serarius, ex omni tribu aliquos semper in patria mansisse tempore captivitatis, necnon ex omnibus tribubus aliquos rediisse; *præterea* testimonio Lucę (*b*) constat Elisabeth esse de tribu Levi (*c*) Annam Prophetissam de tribu Aser: & Waltonus citatus laudat Chrysostomum, & Euthymium tradentes, Phariseos fuisse

ex

(a) *apud Euseb. de preparat. Evang. Lib. XIII. relatum a Waltono Proleg. IX.§.4. p.312. col.2.* (b) *Cap. I. v.5.* (c) *Capite II. v.36.*

ex omnibus duodecim tribubus. *Tertium* consistit in pura puerili ineptia, quoniam non semel eidem nomini diversę terminationes occurrunt. *Quartum* aperte offendit peritiam tabulę chronologicę, quantoquidem si Hecatæus per Suidam vixit sub Successoribus Alexandri Magni, & juxta Josephum, cum Ptolomęo Lagi filio familiariter versatus, qua methodo infertur Hecatęum antiquiorem non esse Demetrio Phalereo, haud video. Annon Alexander Magnus, & Ptolomęus filius Lagi antiquiores sunt Ptolomęo Philadelpho, sub quo Demetrius floruit? Suidas itaque, & Josephus bene consentiunt cum iis quæ in libello recensentur. *Ad quintum* licet hac nostra tempestate Epistola Demetrii videatur vocibus non electis scatere, ut tamen eruatur eam non esse fœtum Demetrii, opus est, probetur etiam Demetrii temporibus, hujusmodi voces tamquam barbaras existimari; id unum scio omnes Linguas per temporum ætates aliquales alterationes subiisse. Postremum momentum certe pulicem persequitur, quoniam pro explorato figit post tempora Aristæi constructionem Heptastadii apud Ægyptios, de cujus ævo nihil certi statui potest. Vel si mavis stare dictis Ammiani Marcellini, ex istius testimonio dumtaxat infertur, Heptastadium, quod erat agger septem stadiorum uniens Insulam Pharon cum Alexandria a Successoribus Philadelphi non quidem primitus constructum, bene verò vetustate collapsum, restitutum ad pristinum: *Eodem enim modo*, inquit Gotti (*a*) *dicit Ammianus a Cleopatra constructum fuisse Heptastadium, ac Pharum turrim excelsam; at constat Pharum ante Cleopatram fuisse constructam, nimirum a Sostrato Cnidio, regnante Ptolomæo Philadelpho, sicque solum ab ea reparatam, utpote a Julio Cæsare diruptam bello Alexandrino: ergo idem de Heptastadio dicendum est.*

187. Secunda difficultas est de Rege Ptolomæo, qui inge-

(a) *De Verit. Relig. Tom. II. Cap. IV.* §. *II. num. XXVII. p.* 88.

ingenti ſtudio verſionem Septuaginta procuravit. Mortuo enim Alexandro Magno Imperatore Græcorum, & poſt multa Principum bella in quatuor regna, atque Reges diſciſſo Imperio: puta Ptolomæus in Ægypto, Seleucus in Babilonia & Syria, Caſſander (poſt Aridæum Alexandri fratrem) in Macedonia, Antigonus in Aſia, impletum fuit illud Danielis (*a*) *Fractum eſt cornu magnum, & orta ſunt quatuor cornua ſubter illud, per quatuor ventos cæli.* In Egypto *primò* regnavit Ptolomæus Soter filius Lagi, *ſecundò* Ptolomæus Philadelphus, *tertiò* Ptolomæus Evergetes, *quartò* Ptolomæus Philopater, *quintò* Ptolomæus Epiphanes, *ſextò* Ptolomæus Philometor; hinc oritur dubium quiſnam iſtorum verſioni Septuaginta incubuerit? Inter ſententias quæ hac in re proferuntur, probabiliorem cenſeo, quæ negotium Philadelpho adjudicat; *primò* quia Demetrius, cujus opera Ptolomæus venit in notitiam Scripturæ Hebræorum, ſub Philadelpho floruit; *ſecundò* ex deſcripta hiſtoria verſionis quiſque colligit, Ptolomæum beneficentiſſimum fuiſſe erga Judæos; & Lagius ſive pater Philadelphi fuit nationi Judæorum infenſus; quos enim Judæos pater duxit captivos filius Philadelphus liberos dimiſit: *tertiò* eo potiſſimum nititur ſententia adverſa, quia Irenæus (*b*) affirmat verſionem peractam fuiſſe ſub Ptolomæo Lago; at velim notes τὸ *Lago* non minus commune fuiſſe, atque nomen Ptolomæi Regibus Ægypti, quippe qui deſcendebant a *Lago*; hinc illud Ludovici Danes. (*c*) *Ptolomæus ſoter Lagi filius, a quo commune Ptolomæorum & Lagidarum nomen derivatum eſt.* Itaque teſtimonium Irenæi ſi non ſuffragatur, nec refragatur. Neoterici magni faciunt auctoritatem prophanorum Scriptorum qui de geſtis Philadelphi differentes, deſcribunt impurum, intemperantem, crudelem omnique alia ſcelerum fœditate inquinatum; & inſuper negotium verſionis Se-

(a) *Cap.* VIII. v. 8. (b) *Lib. III. adver. hæreſ. Cap.* XXV. *pag.* 292. *D.*
(c) *Tom. III. de Generali temporum notione, De Regibus Ægypti p.* 107.

ptuaginta non modo non adjudicant Philadelpho, sed nec per umbram subodorantur. Ita Pausania in Attica, Athenæus Dinopf. & Plinius (a) quare concludunt, incredibile prorsus esse, quod Philadelphus de Hebraicis voluminibus Græce transferendis, cogitarit. David enim quum multum sanguinis effudisset in præliis noluit Deus, ut sibi Templum construeret. Et tandem si vera forent quæ de splendida munificentia Philadelphi nuper exposita sunt, (b) saltem pro negotio versionis Septuaginta debuisset impendere plusquam octo milliones argenteorum nummorum, quo quid incredibilius nemo non videt. Verùm mihi tametsi cordi maxime fuit illud Spiritus Sancti: *Habentes solatio SANCTOS LIBROS* (c) nihilotamensecius studio hujus veritatis detegendæ, opus est, aliquantulum stilum vertam. In primis Plinius perperam citatur, quum eo loci nullum penitus verbum habeat de hujuscemodi rerum serie. Qui postea adcurate leget Pausaniam, & Athenæum, vix in aliquibus, & neque satis comperiet eos concordare adinvicem: tantùm Pausania recenset quod Philadelphus duos fratres interfecerit, propter insidias quas sibi pararant: quid tum? annon rebelles in fratrem Regem mortis pœna rite plectuntur? quem latet Salomonem per manum Banaje filii Jojade, ob eandem caussam morti devovisse fratrem suum Adoniam? (d) Sane quoad caput libidinis Pausania congruit cum Ahtenæo, non tamen satis: Athenæus habet: (e) *Ægypti Rex cognomine Philadelphus, ut refert Ptolomæus Evergetes libro tertio Commentariorum, amicas multas habuit, Didymam quandam mulierem indigenam ... alteramque Biblisticben, & Agoiboelejam, præterea stratonicen.* Pausania autem hasce amicas Philadelphi minime subodoratur, sed tantùm fert: Philadelphum Arsinoes germanæ sororis amore victum,

hanc

(a) *Lib.* XXXIV. *Cap.* XIV. (b) *Num.* 181. & 182.
(c) 1. *Michab.* XII. v. 9. (d) *III. Reg. Cap. II.* v. 25.
(e) *Dinops Lib.* XIII. *pag.* 576. *D.*

hanc sibi matrimonioadjunxisse. (*a*) Quod si postea Neoterici opponent hæc alia ejusdem Pausaniæ loc. cit. *Quod si Ptolomæus revera Philippo Amintæ filio genitos est, intemperantem usque ad insaniam in mulieres amorem a Patre nimirum ei quasi hereditarium fuisse facile credi potest*, respondeo, qui adcurate librabit Textum Pausaniæ, deprehendet profecto eum loqui non de Philadelpho, sed de Ptolomæo Sotero patre Philadelphi, qui quippe, ad fidem ejusdem Pausaniæ, amore captus Berenicis, quam Euridices Antipatri filia uxor sua duxerat secum, inter alios filios Philadelphum ex Berenice accepit: quod quoque innuit Hermippus apud Laertium. (*b*) Hinc Neoterici, ut ipse vides, perperam inclytum Philadelphum indignis stigmatibus inurunt; ut potius si velint præstare fidem Masurio Callixeno Rrodio (*c*) vix cupidine captandi honoris & humanæ gloriæ, dicendum est, eum affectum fuisse. *Philadelphus sane*, inquit, *Reges multos opibus antecelluit*, *& quæ molitus est ac edidit*, *omnia*, *summo studio honoris & gloriæ cupidus magnifico cultu absolvit:* atque ita de transferendis Hebraicis voluminibus Græco sermone non solùm Philadelphus cogitavit, sed revera opere complevit. — Scopus propter quem assumitur in argumento exemplum David manifestat, adversarios non exacte assecutos fuisse sacrum Textum. Namque haud in pęnam bellorum initorum David privatus fuit gloria ædificationis Templi, sed quia ipsamet bella ei impedimento fuere: *Tu scis*, sunt verba Salomonis (*d*) *voluntatem David patris mei*, *& quia non potuerit ædificare domum Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum*, *donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus*. Super quæ Lyranus: *Requirebatur maxima pax in regno Israel tempore hujus ædificationis tum propter magnitudinem expensarum*, *tum propter multitudi-*

Gg 2 nem

(a) *Pausania in Attica Lib. I. pag.* 8. *aditionis Florentinæ* 1561.
(b) *Laert. Lib.* v. *p.* 133. *B.* (c) *Apud Athenæum Lib.* v. *p.* 203. *D*
(d) *III. Reg. cap.* v. *v.* 3.

nem operariorum , ut patebit in sequentibus , qualis non fuit tempore David. Ad illud quod prophani Scriptores negotium versionis Septuaginta neque tribuunt Philadelpho, neque subodorantur , quid mirum ? Scriptores isti quum odio haberent religionem Judæorum , & consequenter auctoritatem sacrorum Librorum, quos primitus Judæi postea etiam Christiani venerabantur, quumque prodigiosum opus versionis Septuaginta nimis profuerit authentiæ sacrorum Librorum, idcirco ne proprio calamo sese confoderent, neglexerunt de negotio versionis quid innuere. Ultra quam quod nec & prodigia in Libris Machabæorum descripta prophani Scriptores referunt, anne istorum silentium argumento erit, ut quæ Deus pro Assamonæis operatus fuerit, denegemus , aut revocemus in dubium? Dicam amplius: Pausania , Laertius , Plinius, Athenæus, aliique id genus nihil penitus percensent de apparitione stellæ in nativitate Domini, de adventu Magorum, de tenebris & terræmotu in morte Christi, de tot mirificis conversionibus Judæorum Ægyptiorum , Persarum, Armenorum , Aliarumque nationum ad Christianam fidem; forte hæc omnia, stante veterum Ethnicorum silentio ad fabulas amandabimus ? Si Scriptores Gentiles negotium versionis Septuaginta silentio præterierunt aut ignorarunt, e contra omnes fere Patres tum Græci quàm Latini nix testimoniis vetustissimorum scriptorum Aristobuli, Philonis , & tandem Josephi (*a*) suo calculo confirmarunt; & insuper Historiarum ad religionem pertinentium prophani scriptores non judices , sed vix pedisequi sunt atque angilluli. Si cui tandem arridebit cum risu , & cachinno insectari postremum scrupulum desumptum ex octo millionibus, adeat Masurium Callixenum citatum , & proculdubio eruet quæ pro habenda versione Græca Philadelphus insumpsit , nec decimam partem æquare millionum quos impendit aut pro multitudine librorum coacerva-

(a) *Legesis exponen da sequenti dubio, & num.* 207. *& seqq.*

vatorum in sua Bibliotheca, aut pro constructione Navium magnitudine & multitudine mirabilium, aut pro structura musæi, aut pro aliis suæ pombæ speciminibus a Masurio expositis.

188. TERTIA DIFFICULTAS est de methodo qua Septuaginta Seniores versioni studuerunt. Ex Patribus major pars tradit singulos Seniores in singulis cellulis inclusos; unus vel alter sentit binos & binos; plerique Theologi, & Protestantes omnes teste Waltono tuentur, in eadem Basilica Seniores simul consedentes communi omnium labore & vicaria collatione suam versionem persolvisse; verùm præ istis primam utpote probabiliorem, necnon Catholicorum principiis magis consentaneam amplectendam suadeo.

Philo Judæus (a) *Ante urbem*, inquit, *Alexandrinam sita est Pharus insula ... hic locus postquam de communi sententia visus est ad præsens negotium* versionis perficiendæ *aptissimus propter secessum quietissimum*, *ubi animus solis legibus posset intendere*, *eum sibi optaverunt ad diversorium ... in eo secessu quum consedissent* intellige seniores *solitarii*, *nemine interveniente arbitro præter naturæ partes*, *terram*, *aquam*, *aerem*, *cælum*, *de quibus primum prodituri erant misteria ... tamquam numine correpti prophetabant*, *non alia alii*, *sed omnes ad verbum eadem*, *quasi quopiam dictante singulis invisibiliter*. Hinc pergit ad commendandum hocce prodigium, ex eo quod eadem res potest in Græco variis modis, variisque dictionibus enunciari. Quo prælibato: tametsi Philo nullam cellularum expressam mentionem faciat, haud tamen obscure ipsius verba selectam sententiam indigitant. *In eo*, inquit, *secessu cum consedissent solitarii*, mihi velim expendas, quid sibi vindicat *τό solitarii?* fortasse, Seniores non in urbe, & in medio populi, sed in solitario loco, puta, in insula Phares consedebant; at Philo paulo

(a) *In Libros Mosis Lib. II. de vita Mosis p.* 454. *col.* 2.

lo ante id disertissime innuerat: *ante urbem Alexandrinam* &c. usque ad ly *diversorium*, & idipsum meminit quum subdit, *in eo secessu;* itaque idcirco adjecit *solitarii* ut subaudiretur, Seniores in eo secessu non simul & in unum, sed in singulis ædiculis solitarios extitisse; *solitarius*, ut omnes norunt; idem est ac solus agens, solivagus, frequentiam vitans; ita accipitur apud Ciceronem (*a*) Esther. (*b*) Thren. (*c*), & alios passim. Illud pariter *nemine interveniente arbitro* explodit mutuam collationem Seniorum, quia dum aliqui simul pacifice conferunt, tunc pro majori & meliori dicendi copia unius, hic fit arbiter aliorum; itaque si per Philonem nullus fuit arbiter, nulla quoque interfuit collatio. Tandem inepte Philo de Senioribus affirmasset, *tamquam numine correpti prophetabant, non alia alii, sed omnia ad verbum eadem*; si enim verum est quod legitur apud Aristæam, quodque libenter adversarii adoptant, Seniores ex mutua collatione elaborabant ad consonantiam, & quod ita consonum & elaboratum erat, a Demetrio scripto excipiebatur, plane tametsi voluisset unus Seniorum, nec potuisset quid diversum a cæteris sentire, aut scribere; sicque quorsum hujusmodi consonantia argumento Philoni fuisset inferendi, quod fuerint Seniores tamquam numine correpti? quid mirum si non alia alii, sed omnes ad verbum eadem? ex Philone igitur satis eruitur Seniores distinctis in cellulis versionem elucubrasse.

189. Inter autem Ecclesiæ Patres nostræ sententiæ suffragatores, præeuntem comperio S. Justinum, qui Cohortatione ad Græcos Gentiles (*d*) *Non*, inquit, *in urbe ipsa, sed septem ab ea stadiis, ubi Pharos extructa est, pari cum interpretibus numero domunculas extrui* Ptolomæum *præcepisse, ut sigillatim pro se quisque interpretationem perficeret: illa quoque cura, qui operam eis dare jussi fue-*

(a) *Lib. I. de Officiis*. (b) *Cap.* XIV. v. 3. (c) *Cap. III.* v. 28.
(d) *p.* 13. *d.*

fuerant, mandata, ut omnibus quidem modis ipsis inservirent, A CONGRESSU AUTEM ILLOS MUTUO PROHIBERENT; quo exquisita interpretationis veritas ex ipsorum etiam consensu cognosci posset. Et cognito Septuaginta istos viros non solùm eadem sententia, verùm etiam eisdem esse verbis in translatione usos, ac nequidem una dictione alium ab alio dissensisse .... admiratione attonitum Ptolomæum *cum Divina virtute interpretationem absolutam esse credentem .... libros, ut par erat exosculatum fuisse & Deo consecratos in bibliotheca sua reposuisse*: & mox, *hæc vobis viri Græci non ut fabulam, neque ut confictam Historiam renunciamus: sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus: & ab incolis, qui res patrias a majoribus per manus sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus: quæ ex aliis quoque (aliqua ex parte) intelligere potestis, & potissimùm ex eis, qui ista scriptis suis inseruerunt, sapientibus & spectatis viris Philone, Josepho & pluribus aliis.* Hactenus Justinus. Quid peto, hisce opponetur? *Respondeo*, inquit Waltonus (*a*) *cum Bellarmino, quod Judæi fabulam a se confictam ipsi persuaserint; & quasdam ruinas ostendentes, cellulas esse dixerint, Septuaginta interpretum; unde facile fieri potuit, ut Justinus eis fidem habuerit*; at Justinus non erat tam hebetis cordis, ut non discerneret fabulam sibi pro veritate injectam; præterea Justinus tradit, Seniores in distinctis cellulis inclusos non tantùm nixus testimonio incolarum Pharos, sed potissimùm sapientum, & spectatorum virorum Philonis, Josephi, & aliorum plurimorum, ut ipsius verba præseferunt; tandem tunc alicujus pensi esset Waltoniana responsio si solus Justinus id tradidisset.

190. At in eandem sententiam conspirant, Irenæus (*b*) *Ille autem* Ptolumæus *experimentum eorum sumere volens, & me-*

[a] *Proleg. IX.* §. 9. *p.* 316. *col.* 1. [b] *Lib. III. adversf. hæres. Cap. XXV. p.* 292. *D.*

& metuent ne forte consentientes, *eam veritatem quæ esset in Scripturis absconderent per interpretationem*, *separans eos ab invicem jussit omnes eandem interpretari Scripturam*, *& hoc in omnibus libris fecit*. *Convenientibus autem ipsis apud Ptolomæum*, *& comparantibus suas interpretationes Deus glorificatus est*, *& Scripturæ vere divinæ creditæ sunt*, *omnibus eandem & eisdem verbis*, *& eisdem nominibus recitantibus ab initio usque ad finem*, *uti & præsentes gentes cognoscerent*, *quoniam per aspirationem Dei interpretatæ sunt Scripturæ*. Clemens Alexandrinus (*a*) *Cum autem unusquisque sigillatim ex sua propria interpretatus esset prophetia; conspirarunt omnes simul collatæ interpretationes & sententiis*, *& dictionibus*. *Dei enim inerat voluntas*, *quæ id ad Græcorum aures consultò comparaverat*. *Neque verò ab inspiratione Dei erat alienum*, *qui prophetiam dederat; ut interpretationem quoque tamquam Græcam efficeret prophetiam*. Eusebius (*b*) *Ille autem* Ptolomæus *separatim de illis periculum facere cupiens*, *cautione quidem adhibita*, *ne forte in uno loco constituti... eos ab ipsis mutuo semovit*, *mandavitque ut singuli eandem Scripturæ librum interpretarentur*. Cyrillus Hierosolyminus (*c*) *Cùm experiretur libros* Hebræorum *non esse nisi divinos*, *providensque* Ptolomæum *ne inter se missi communicarent*, *in loco*, *qui Pharus dicitur secus Alexandriam sita singulis interpretum suam cuique ac propriam domum tribuit*, *singulisque universa Scriptura præcepit ut interpretaretur*. Epiphanius (*d*) *Cùm enim*, inquit, *Septuaginta duo numero essent* Seniores *& in Pharia insula.... in triginta ac sex domunculis par & par in domunculas a matutino usque ad vesperam inclusi*, *& vesperi in triginta sex naviculis in Ptolomæi Philadelphi palatium transeuntes*, *& cum ipso cibum capientes*, *& par ac par in cubiculis*

(a) *Lib. I. Stromat. p.* 342. *A.* (b) *Lib. I. Hist. Cap. VIII. apud S. Irænæum nuper cit. p.* 293. (c) *Cathec. IV. p.* 37. *A.* (d) *Lib. de Ponderibus & Mensuris p.* 300. *col.* 1.

culis triginta sex dormientes, ut ne quid inter se conferrent, sed incorrupte interpretarentur, sic vitam degebant. Epiphanius igitur tametsi in numero cellularum dissentiat ab aliis, concinit tamen quoad factum principale, quod nimirum, Seniores omnes haud inter se contulerint in edenda versione, neque in eadem Basilica simul consederint.

191. Augustinus tandem (a) *Traditur sane, tam mirabilem ac stupendum, planeque divinum in eorum verbis fuisse consensum, ut cùm ad hoc opus separatim singuli sederint (ita enim eorum fidem Ptolomæo Regi placuit explorare) in nùllo verò quod idem significaret, & tantumnem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero, discreparet: sed tamquam si unus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt unum erat: quoniam revera Spiritus erat unus in omnibus. Et ideo tam mirabile Dei munus acceperunt ut illarum Scripturarum non tamquam humanarum; sed, sicut erant tamquam divinarum, etiam isto modo commendaretur auctoritas.* Res profecto mirabilis & minime prætermittenda. Ubi tot Patres doctrina pietateque clari Justino viciniores Historiam cellularum suo calculo probant, & nemo subodoratus est vel quod Libellus Aristææ fuerit suppostitius ejus, vel quod Justinus ab incolis deceptus, solis nostris recentioribus post tot elapsa secula felicissime innotuerit. Quorum amabò testimoniis nisi veterum nobis referantur vetera facta: (b) quis heinc non agnoscet Neotericorum criterium studio novitatis inducendæ eversum, quum pene omnia a veteribus tradita moliuntur invertere, pro certis venditantes de quibus illi siluerunt, ea e contra præfracte denegando quæ veteres comprobarunt unanimiter?

Hh Di-

(a) *Lib. XVIII. de Civit. Dei Cap. XLII. Tom. VII. col.* 524. *F.*
(b) *Vide num.* 210.

Dicam quod sentio. Cuique satis superque perspectum est, constantem veterum PP. traditionem minime quadrare, imo graviter obesse Ecclesiæ Lutheranæ & Calvinianæ; heinc vaferrimi cultores harum Ecclesiarum, ut infirmarent traditionem Patrum in rebus fidei & morum, viam orditi sunt a deceptione Patrum quoad rerum Historias, utpote id de quo Catholici minus curare debent, & pro quo vix zelant. Quid tum? Utinam & ipse solus id auscultassem: Veteres Ecclesiæ Patres sæpissime hallucinati sunt, non est igitur eis fidendum neque quoad scripturarum intelligentiam, neque quoad facta dogmatica quantumvis concordent maxima ex parte ad invicem. Sed quò discessi, redeam. Conatur Waltonus loc.cit. alio testimonio Augustini suadere non certò, & secure, sed dubitanter Sanctum Doctoremagno. visse singulos Seniores in singulis cellulis inclusos; quippe qui (*a*) his verbis utitur: *Dicuntur* LXX. *Interpretes &c. fertur, & multi fide non indigni prædicant singulis cellis inclusos fuisse &c. Quæ*, ita Waltonus concludit, *verba indicant ipsum non certò hoc de cellulis affirmasse*; at quomodo verba ista indicabunt, Augustinum non certò illud affirmasse quando scopus ipsius eò unice tendit, ut suaderet, & conciliaret auctoritatem versionis Septuaginta supra Latinos codices Veteris Testamenti, qui tunc circumferebantur? annon cuique, vel modicæ eruditionis, perspectum est, cellularum Historiam auctoritati hujus versionis nimis conferre, ac suffragari? quis ergo credet Augustinum tam solemne paralogismum confecisse, ut ubi auctoritatem versionis Septuaginta commendare studeret, ibi dubium injiceret de eo quod maxime conducit ad ejusdem versionis authentiam conciliandam? Hinc aperte vides verba ista *dicuntur*, *fertur*, *prædicant* minime ab Augustino fuisse adhibita, ut indicaret se non certò

[a] *Lib. II. de Doct. Christ. Cap. XV.*

certò credere fingulos Seniores in fingulis cellulis inclufos, fed potius ut hujus Hiftoriæ veritatem eruditius comprobaret. Præftat rem iftam penficulatius expendamus. Nota cum Patribus Maurinis Librum primum, & fecundum doctrinæ Chriftianæ Auguftinum fcripfiffe circa annum 397., quo quidem tempore perfuafus ab æmulis Hieronymi, quod ifte falfo prætextu corrigendi Latinos codices Veteris Teftamenti, revera moliebatur cudere fugillationem in Septuaginta Interpretes; qua de cauffa Auguftino, loco cit. animo occurrit monere, in Latinis codicibus Veteris Teftamenti emendandis, confulendos fore Septuaginta; quia quoad Vetus Teftamentum attinet, nonnifi horum Interpretum tunc excellebat auctoritas. Quod probat *primò*, quia omnes peritiores Ecclefiæ dicebant, Seniores tanta præfentia Spiritus Sancti interpretatos effe, ut licet in variis cellulis inclufi non communicarint adinvicem, adhuc ipforum omnium os unum fuit; *fecundò* hujufmodi Hiftoriam ab anterioribus percenferi, & multi non indigni fide adhuc fuo tempore prædicabant; *tertiò* etiam dato quod Seniores non in fingulis cellis feparati fed communi tractatu, judicioque in eandem vocem confpirarint, nec etiam quemquam unum hominem (fubintelligens Hieronymum) qualibet peritia fuffultum oporteret, aut deceret afpirare ad emendandum confenfum tot Seniorum, & doctorum, quam ob rem etiam fi aliquid aliter in codicibus Hebraicis inveniretur, quàm Seniores in fua verfione pofuerint, Auguftinus arbitrabatur, id cedendum effe divinæ difpenfationi; & quoniam Aquilina acies probe nofcebat non poffe melius hujufmodi divinam difpenfationem in Senioribus factam tueri, nifi ftatuatur quod communiter perhibebatur, nempe Seniores fingulos in fingulis ædiculis inclufos ore uno interpretatos effe; idcircò huc reportat difcurfum, indeque concludit; *Græcorum codicum auctoritatem emendandos effe Latinos*.

192. Si igitur Augustino cordi fuit commendare præfatis verbis, necnon comprobare auctoritatem Septuaginta, plane interpretatio Waltoni, aliorumque quàm longissime abest a cogitatione Augustini. Ut quis verò judicare valeat, utrum bene, vel male mentem Sancti Doctoris assequutus fuerim, arridet textum subiicere. *Latinis*, inquit (a) *quibuslibet emendandis Græci adhibeantur, in quibus* LXX. *Interpretum quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas: qui jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia Spiritus Santi interpretati esse dicuntur ut os unum tot hominum fuerit. Qui si, (ut fertur, multique non indigni fide prædicant) singulis cellis etiam singulis separati cum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis, eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris : quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu judicioque vox fieret; nec sic quidem quemquam unum hominem, qualibet peritia, ad emendandum tot Seniorum Doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet. Quam ob rem etiam si aliquid aliter in divinis Exemplaribus invenitur, quam isti posuerint, credendum esse arbitror divinæ dispensationi quæ per eos facta est ... Latini ergo, ut dicere cæperam, codices Veteris Testamenti, si necesse fuerit Græcorum auctoritate emendandi sunt & eorum potissimùm, qui cùm Septuaginta essent, ore uno interpretati esse perhibentur.*

193. In contrarium adversarii *primò* proferunt testimonium Aristeæ, cui certe præ cæteris hoc in rerum themate unice fidendum; quippe qui toti negotio præsens fuit, totius rei gestæ seriem describit, & de cellularum historia nullum verbum habet, quin potius, quæ contrarium commonstrant, aperte tradit, *Post tres*, inquit. (b) *autem dies, quam illa quæ exposuimus, sunt acta, Demetrius*

(a) *Loco cit. Tom. III. col. 28. A.* (b) *Epist. ad Philocratem penes Natal. ab Alex. sæc. II. hist. Eccles. dissert.* XI. *quæst. II. Tom.* VI. *p.* 393.

trius assumpsit ad se illos viros, & in insulam per aggerem maris septem stadiorum est progressus, ac trajecto ponte, partes versus septentrionem occupavit. Ibi congregatis illis viris in domo splendide extructa juxta littus, & ab omni tumultu & strepito remota .... hortabatur eos ad interpretationem Legis perficiendam. Illi autem rem aggressi, singula ex collationibus ad consonantiam elaborabant: & quod ita consonum & elaboratum erat, ut dignum esset descriptione, a Demetrio scripto excipiebatur. Ac quidem quotidie ad nonam usque horam in tali studio congregati erant. Aristææ consentit Josephus, qui quum eo tempore floruerit quo tota gens judaica in Synagogis versionem Septuaginta consecrabat, (*a*) inverosimile videtur præterire voluisse, si revera accidisset, perspicuum monumentum quo maxime probatur, seniores non humano, sed divino Numine suffultos, versionem edidisse. Ad quod sine præjudicio sententiæ melioris, arbitror, tam Aristeam, quàm Josephum quoad historiam cellularum, fuisse ante ætatem Hieronymi a Judæis interpolatos, & iisdem in locis istos figmenta sua assuisse. Quod Aristæas cellularum factum in suo opere consignaverit, eruo *primò* ex Philone qui, ut nuper dixi, satis indicavit singulos Seniores in singulis cellulis inclusos versioni studuisse; porro quorsum Philo id valuisset innuere nisi accepisset ab Aristæa, cujus libellus est Historiæ versionis Septuaginta ceu fons originarius? *secundò* quamquam Justinus non laudet Aristæam expresse, censetur tamen satis meminisse hujus, quum inquit, *intelligere potestis ex eis qui ista scriptis suis inseruerunt ... Philone, Josepho, & pluribus aliis*; annon Aristeas princeps est, qui Historiam versionis suo libello inseruit? & nota, Justinus ad hosce auctores consulendos Græcos Gentiles provocabat, quod profecto non fecisset si aliter Aristæas sensisset: *tertiò* Epiphanius nonnisi ejusdem Aristeæ testimonio fert, segregationem Seniorum, omni

(a) *V. N.* 183.

omni penitus eis a Ptolomæo communicatione interdicta: *veluti*, affirmat, (*a*) *tradit Aristæus in libro suo* . Josephus pariter expresse laudatur a Justino ; *quartò* quis vir cordatus sibi persuadebit tot spectatissimos viros Justinum, Irænæum, Clementem Alexandrinum, Eusebium, Cyrillum Hierosolymitanum , aliosque ejusdem chori , pro re certa in suis scriptis tradere zelum Ptolomæi inhibentis communicationem Seniorum, si apud Aristæam, & Josephum, præcipuos hujus rei relatores , nullum vestigium invenissent? Eo vel magis quod ex dictis (*b*) Judæorum Rabbini longe ante Hieronymi ætatem cæperunt versionem Septuaginta odio habere, necnon in permultis constuprare; mirum igitur esse non debet si depravarint pariter id omne , quod auctoritatem ejusdem versionis conciliare poterat ; hoc ferme pacto haud veriti fuere conspurcare Hebraicas litteras , ut consequenter versioni Septuaginta detraherent; & quoniam Historia Seniorum in singulis cellulis cum privatione communicationis, magnopere confert ad probandam authentiam hujus versionis, ideo haud credibile videtur eos contentos fuisse interpolatione solius versionis, & non quoque libelli Aristææ , & Josephi qui in suis scriptis id referebant ; & quoniam Deus nuspiam deficit in necessariis, potissimùm Ecclesiæ suæ, hinc multò plures viros excitavit qui graviori auctoritate nixi, quasi per manus veritatem Historiæ tradiderunt; licet nec Hieronymus neque nos aliquid tale comperiamus apud Aristæam, & Josephum . Tales profecto sunt laudati Ecclesiæ Patres, qui haud sine sufficientibus monumentis rem nostram tanta consentione asseverassent? Tandem ponatur, hanc meam conjecturam esse somniantis consilium, neque silentium Aristeæ, & Josephi tanti faciendum est, ut propter istos, quorum prior Ethnicus secundus Judæus , deceant virum Christianum non adhærere tot Ecclesiæ proceribus doctrina, pietateque cla-

(a) *Lib. de Ponder. cit. p.* 301. *col.* 2. *F.* (b) *N.* 112.

claris. Semper Gentilibus, Judæis, atque Hæreticis cordi fuit noſtra deſtruere, & contenebrare; heinc repeto illud Tertulliani (*a*). *Nemo inde ſtrui poteſt unde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & a noſtris, & de noſtro.*

194. *Hieronymus*, dicit Waltonus cit. *præfat. in Pentat. narrationem de cellulis explodit, dicens, ſe neſcire quis primus auctor Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxit. Et Præfat. in Chron. dicit, cellulas iſtas vulgo ſine auctore jactari.* Sed quidquid alii cenſeant dico, Hieronymum non abſolute inficiatum fuiſſe cellularum Hiſtoriam, ſed conditionate ſpectato ſcilicet ſilentio Ariſtææ & Joſephi; hinc loco cit. (*b*) ſubdit: *Acùm Ariſtæas, & multò poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint: ſed in una Baſilica congregatos, contuliſſe ſcribant.* Quod verò, abſolute loquendo, neque Hieronymus a nobis diſſentiat, ſatis eruere arbitror ex eo quod Sanctus Doctor illius eſt opinionis qua aſſeritur, Septuaginta Seniores in ſua verſione edenda fuiſſe Spiritu Sancto repletos, & ex Spiritus Sancti pariter auctoritate nonnulla addidiſſe; (*c*) porro non aliter laudatis Eccleſiæ Patribus innotuit, Seniores ſuperno ſuffultos numine, niſi quia licet ſeparatim operam dederint Græcæ verſioni, adhuc conſpirarunt in eaſdem ſententias, atque voces: qua de cauſſa Waltonus, ipſiuſque aſſentatores bene noſcentes iſthæc tamquam duo conſectaria ſe haberi, idcirco utrumque denegant, nempe, & quod Seniores ſeparatim elucubrarint verſionem, & quod in hujuſmodi opere concinnando fuerint divinitus acti; ſi ergo Hieronymus hoc ſecundum concedit, & primum quoque, abſolute loquendo, tenuiſſe cenſendum eſt; quamquam ſpectato ſilentio Ariſtææ & Joſephi, inficiari viſus fuerit.

195. Objectatur quoque I. quod Euſebius (*d*) rem totam

(a) *Lib. de Præſcript. Cap. XII. p.* 333. *A.* (b) *Præfat. in Pentat.*
(c) *V. N.* 199. (d) *Lib. VIII. de Præparat. Evang. Cap. I.*

totam narrat sine ulla cellularum mentione. II. quamvis Philo, Tertullianus, & Chrysostomus miracula narrent quæ in hac versione contingerunt, silent tamen de cellulis. III. Nec ex illa consensione Seniorum in eandem sententiam, quam veteres referunt, necessariò evincitur, eos loqui de cellulis; *nam revera miraculum fuit quod tot homines simul conferendo, tam brevi tempore potuerit convenire in singulis sententiis transferendis*. IV. Si singuli (ita argumentatur Waltonus) in cellis prophetassent, opus esset, ut singulis singuli codices traderentur a Sacerdote summo: *cum tamen* (en ipsius verba) *in historia legamus unicum exemplar aureis litteris descriptum ab Eleazaro ad Regem missum fuisse. Nec potuit Pontifex divinare Ptolomæum tale de interpretibns sumpturum experimentum, aut credere in hoc morem illi gerendum fuisse, Deumque sine necessitate tentandum, ut notat doctissim. Capel.*

196. Sed ne tedio lectorem afficiam breviter ad singula. Ad I. satis cellularum Eusebius meminit, ut constat ex laudato testimonio ipsius (*a*). Ad II. tametsi expressam mentionem domuncularum nonnulli veteres præterierint, tamen ex quo concordant in tradendo miraculum exactissimæ consensionis Seniorum, subauditur de consequenti, eos separatim, atque solitarios in cellulis inclusos versionem elucubrasse; verum enimvero quid miri accidisset propter exactissimam consensionem, si ex Senioribus, in eadem Basilica consedentibus, unus codex versionis editus foret in lucem? consensio, ut omnes norunt, est de genere relativorum quæ supponunt extrema distincta; nemo enim dicitur sibi similis vel dissimilis, concordans vel discordans: in eo igitur unice salvatur miraculum consonantiæ ab omnibus veteribus enunciatum, quod nimirum collatis adinvicem singulis Seniorum codicibus separatim elaboratis, omnes ita in sententiis, ac vo-

(a) *N. 190.*

vocibus concordantes reperti fuere, perinde ac si ab uno dictante fuissent editi, aut unus fuisset codex. Quam ob rem pariter explosum manet III. & eo magis quum neminem ex veteribus inveniamus, qui miraculum præfatæ consensionis ostendat ex sola temporis celeritate, & non potissimùm ex inhibita communione Seniorum. Ad ultimum exscribere arridet verba ejusdem Waltoni, ut Waltonus waltono respondeat. *Et licet*, inquit (*a*), *unum tantùm habuissent exemplar publicum, quod quidam opinantur fuisse ipsum volumen, quod in Templo publice in usu fuit, quia Pontifex a Rege petiit ut ipsum tuto remitteret: nihil tamen vetat quin singuli Interpretes etiam per se in usum proprium exemplaria propria habuerint. Et plane incredibile est, eos ad tantum opus a Rege potentissimo evocatos ita incuriosos fuisse, ut non singuli propria exemplaria haberent, quo melius Regis, & aliorum expectationi satisfacerent. In hoc consentientem habeo VVovver... Quis itaque credat, hos Interpretes, cum infimi subsellii non fuerint, sed apud suos in maximo honore, singulos proprium codicem non habuisse, vel secum in itinere non attulisse?*

197. Piget tandem operam perdere, & oleum in coquendis tot aliis contrariis conjecturis, quibus waltonus quemlibet lectorem irretit hoc in argumento. Modò enim penitus inficiatur cellularum Historiam, modò non tantùm probabile sed necessarium fuisse dicit, singulos Seniores cellam, vel cubiculum peculiare habuisse. Interdum quod in eadem Basilica congregati inter se conferebant, interdum quod nimia orta esset confusio, si omnes simul de quolibet Scripturæ capitulo loquuti fuissent. Hic agnoscit miraculum versionis desumptum ex brevitate temporis, alibi profert quamdam conjecturam, ex qua vitium potius diuturnitatis temporis eruitur: nullo negotio fieri posse affirmat, quod singuli Seniores valuerint singulis

(a) *Loco cit.* §. 10. *p.* 317. *col.* 2.

diebus dimidium capitis sibi assignati transferre ; cum e contra nos sciamus Hieronymum , unius diei intervallo arripuisse translationem totius Libri Tobiæ ex Hebræo in Latinum, ut testatur ipse Hieronym. Præfat. in Tobiam. Waltonus itaque hac in parte , velociter currit nesciens quò eat .

198. QUARTA DIFFICULTAS movetur de peculiari Spiritus Sancti assistentia in Septuaginta Senioribus. Pars affirmativa, quam putamus rectissime tueri, ex prolatis descendit , & hac via probatum eo . Id sane de Septuaginta Senioribus sentiendum est quod quasi per manus a majoribus nostris accepimus; agimus enim de quæstione vetustissimi facti , quod nonnisi traditione veterum nobis innotescere potest ; at veteres uno ore fatentur , Septuaginta Seniores , peculiari Spiritus Sancti flatu , versionem edidisse . Philo (a), *Tamquam numine correpti prophetabant, non alia alii , sed omnes ad verbum eadem , quasi quopiam dictante singulis invisibiliter* . Justinus (b) *Per propheticum spiritum Scripturas ab illis Interpretibus fuisse ex Hebræo in Græcum versas*. Irenæus (c) de versione Septuaginta verba faciens : *Scripturæ veræ divinæ creditæ sunt . . . . quoniam per aspirationem Dei interpretatæ*. Clemens Alexandrinus (d) *Neque verò ab inspiratione Dei erat alienam qui prophetiam dederat; ut interpretationem quoque tamquam Græcam efficeret prophetiam* . Eusebius (e): *Illæ Scripturæ Divinæ propterea cognitæ , quod singuli Interpretes . . . . expressissent : adeo ut gentes, quæ præsto aderant, illas Scripturas instinctu divino explicatas faterentur*. Cyrillus Hierosolymitanus (f) *Non enim orationis facundia, & sapientiæ humanæ commento negotium gerebatur, sed a Spiritu Sancto divinarum Scripturarum*

(a) *Lib. II. de Vita Mosis p. 454. col. 2.* (b) *Pluribus in locis penes Frassen Lib. II. Cap. III. Disquis. Bibl. §. III. N. XIII. p. 243.*
(c) *Lib. III. advers. Heres. Cap. XXV. p. 292. D.* (d) *Lib. I. Strom. p. 342. A.* (e) *Lib. I. Hist. Cap. VIII. apud Sanctum Irenæum cit. p. 293.*
(f) *Catechesi IV. p. 37. B.*

rarum, quas Spiritus Sanctus profatus erat, interpretatio conficiebatur. Epiphanius (*a*) *Mirabile est opus Dei ad hoc ut cognosceretur quod illi viri donum Spiritus Sancti habentes consenserunt in deserto*: & infra: *Juxta Dei dispositionem, & ex consonantia Spiritus Sancti concorditer interpretati sunt.* Augustinus (*b*): *Tanta præsentia Spiritus Sancti interpretati esse dicuntur* Seniores *ut os unum tot hominum fuerit*. Et alibi (*c*) *Tamquam si unus esset Interpres, ita quod omnes interpretati sunt unum erat: quoniam revera Spiritus erat unus in omnibus.*

199. Sed prætermissis Chrisostomo, Tertulliano, aliisque spectatissimis viris, videamus quid Hieronymus, quem nonnulli, ut in Septuaginta Seniores contumeliosum, evulgant, sentiat. S. Doctor animadvertens in versione Septuaginta, quæ suo tempore circumferebatur, irrepsisse in libro Paralipomenon quædam nomina non tam Hebræa quàm barbara, inquit: (*d*) *nec hoc Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu Sancto pleni ea quæ vera fuerunt, transtulerant, sed Scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant*; & in fine ejusdem præfationis: *ubi verò obelus, transversa scilicet virga præposita est, illic signatur quid Septuaginta Interpretes addiderunt, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti auctoritatem, licet in Hebræis voluminibus non legatur.* Fateor Hieronymum (*e*) tradere Seniores non prophetasse; quid tum? verbum *prophetare* eo loci Hieronymus accipit secundum proprissimam significationem, quatenus juxta vocis etymon a *procul fari* quod nimirum, quæ post ventura sunt prædicantur, ducit originem; hinc adjecit: *aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem: ibi spiritus ventura prædicit*: & sane hoc modo sumpto verbum *prophetare* haud

(a) *Lib. de Ponderibus & Mensuris p.* 300. *col.* 2. *H.* (b) *Lib. II. de Doctrina Christ. Cap.* 15. *Tom. III. col.* 28. (c) *Lib. XVIII. de Civit. Dei Cap. XLII. Tom. VII. col.* 524. *F.* (d) *Præfat. II. in Paralip.* (e) *Præfat. in Pentateuchum.*

Senioribus convenit, quum ipsius munus unice fuerit reddere Græco sermone, quæ Sancti homines vere Prophetæ Hebraicis litteris mandarunt: consequenter ex quo Hieronymus removet a Senioribus spiritum prophetandi rigorose acceptum, minime contendit eis peculiarem Spiritus Sancti assistentiam, quam alibi in Senioribus fassus est. Eo vel maxime quod nuspiam, ipso Hieronymo teste, haberi potest vera Scripturarum intelligentia sine Spiritus Sancti præsidio; hinc Irenæus utrumque in Senioribus sedulò distinguens; unus, *inquit*, (a) *& idem spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconavit, quis & qualis esset adventus Domini; in Senioribus autem interpretatus est bene, quæ bene prophetata fuere.*

200. Waltonus præmens vestigia Ruffini, olim æmuli, ac detractoris Hieronymi, tradit. (b) Hieronymum varios errores tribuisse Septuaginta Senioribus; at si par in crimine mendacii Ruffino fuit, expedit idem Hieronymi responsum recentiori obtrectatori aptemus; *Miror*, ita Hieronymus Ruffinum carpit (c) *quomodo in eadem Epistola homicidam, & adulterum, & sacrilegum, & parricidam me esse non dixerit ... ego ne contra Septuaginta Interpretes aliquid sum locutus quos ante annos plurimos, diligentissime emendatas* subaudi a corruptelis irreptis *meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in conventu fratrum edissero, quorum psalmos jugi meditatione decanto? tam stultus eram, ut quod in pueritia didici, senex oblivisci vellem?* Et in fine ejusdem capitis: *Vide quanto contra Septuaginta interpretes tumeam supercilio, ut illos aurum, & pretiosos lapides, & purpuram, me pelles, & pilos caprarum in tabernaculo Dei obtulisse profitear*; nũmquam igitur Hieronymus in ipsos Interpretes invertus est, sed unice in vitia illius versionis Septuaginta quæ suo tempore jam corruptelis scatebat: *si Septuaginta interpretum*, vide quàm

(a) *Loc. cit.* (b) *Prolg.* IX. §. 8. *p.* 315. *col.* 1. (c) *Lib. II. adversf. Ruff. Cap.* VII. *Tom. II. p.* 516. C.

quàm perspicue distinguit quæ , non bene intellecta a Waltono aliisque Hereticis, confunduntur. (a) *pura & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me Chromati Episcoporum sanctissime, atque doctissime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone tran ferrem*; Itaque si Hieronymus fatetur superfluum censeri suum laborem, in hypothesi quod pura, & ut a Septuaginta, edita versio permaneret, plane non Septuagintá senioribus, bene verò codicibus Septuaginta qui plerisque corruptelis scatebant, passim tribuit errores; atque ita quidquid recentiores persuadere conantur, id unum exploratum habeo, magnam olim apud veteres fuisse consensionem, per omnia eundo Secula Ecclesiæ, de peculiari superni numinis flatu in Septuaginta senioribus Græcam versionem promentibus.

201. Nec sane gratis, aut pia cogitandi ratione ducti, id fassi sunt, sed evidenti facto convicti; quod nimirum licet singuli in singulis cellulis inclusi, ita tamen mirabiliter consenserunt adinvicem, atque si unus dictasset & ipsi scripto excepissent. Immo longe melius quoniam ubi codices Septuaginta duorum amanuensium quàm difficiliter non discordarent adinvicem in aliqua saltem dictione, ne dicam in aliquo versiculo, codices autem Seniorum nequidem in una dictione inventi fuere, teste laudato Justino, dissensisse. Dicam amplius: tametsi eadem sententia in Hebræo possit Græco sermone, ob hujus linguæ copiam, multipliciter exprimi, adhuc neque, repetam, dictione discreparunt: quodque argumento fuit Ptolomæo appellandi eos non Interpretes sed initiatores & Prophetas, agnoscendi spiritu purissimo fuisse assecutos cogitationes Prophetarum, atque tam exemplaribus fontis, quàm codicibus versionis divinos reddendi honores. *Et quis igitur*, rem totam narrat Philo (b) ne-

(a) *Præfatione prima in Paralipomenon*.
[b] *Lib. II. de Vita Moysis p.* 454. *col.* 2.

nescit cujuscumque linguæ, presertim Græcæ copiam, ut eadem sententia possit enunciari modis variis, nunc has, nunc illas dictiones accommodando. Id negant factum in prodendis his legibus, sed reddita propria propriis nominibus Græcis ad Chaldaica exacte respondentibus, quo melius perciperetur rerum notitia ... In utraque Scriptura tum Chaldaica, tum ejus inteerpretatione miratur Philadelphus germanitatem, imo rerum verborumque consonantiam adorat, non Interpretes illos sed initiatores & Prophetas appellans, quibus datum est sincerissimas Mosis cogitationes assequi spiritu purissimo. Præterea idcirco concludit Waltonus, (*a*) Seniores in versione concinnanda minime divino munimine suffultos, quia attento testimonio Aristææ, Interpretes inter se contulerunt disputantes, & conferentes de re qualibet in Basilica; ergo quum ex superioribus constet, singulos Seniores separatim in singulis cellulis versionem elucubrasse, sequitur &c. Tandem ex præfatis veteribus affulget, Seniores spatio Septuaginta duorum dierum suum opus perfecisse, puta versionem totius Veteris Testamenti de quo infra; sed si Seniores non fuissent Spiritu Sancto repleti, minime tam brevi tempore id consequi valuissent; ergo &c.

202. Nonnullos lapillos Waltonus ingerit I. quod si Spiritus Sancti afflatu scripserint, numerus talis superfluus fuisset, quum unus sufficeret. II. nec opus esset viris doctrina claris, & Linguæ Hebraicæ, ac Grecæ peritis. III. quædam sunt in hac Versione quæ nec cum Textu hodierno Hebraico, nec cum Vulgata Latina ulla arte conciliari possunt. Nescio sane quomodo homo ceteroquin acutus, & jugis lectionis ad hasce ineptias sit devolutus: annon & una quoque sanguinis gutta Servatoris nostri Jesu, satis fuisset pro expiandis infinitis peccatis & peccatoribus? & tamen quis umquam dixerit superflue tot

(a) *Loco cit. col.* 2.

tot plagas, atque vulnera propter nos nostramque salutem, a planta pedis ad usque verticem capitis, eum subiisse? Item si unus fuisset Interpres, tametsi Spiritus Sancto repletus, defuissent tamen indicia quibus Rex Gentilis ceterique adstantes, agnoscerent versionem divinitus peractam. Item fuerunt Septunginta duo, quoniam in hoc numero mysteria latent; tot namque fuere seniores quos elegit Moses, totque discipuli quos incarnatus Dei filius ad prædicandum misit: hinc meritò scripsit Salmeron: (a) *Septuagintaduo significativus numerus atque perfectus*. Ad II. nec opus erat, ut in nuptiis Canæ hydriæ implerentur aqua, ut in eis Dei omnipotentia inveniretur vinum; neque ut Esdra in lege doctissimus, divino pariter flatu, restauraret Scripturas, & tamen nemo hæc vitio superfluitatis adjudicavit; ut potius Patres, atque Theologi eruunt Dei omnipotentiam, connaturaliori agendi ratione, semper mira operari. Ad III. Et nos quoque idipsum fatemur, & disertius paulo infra; at hujusmodi vitia, quibus hodierna versio scatet (jamdudum Hieronymo citato præeunte) non sunt fœtus Septuaginta Interpretum, qui ob speciale Dei auxilium ab omni erroris nævo fuere immunes, bene verò Judæorum, sive Hebraizantium, sive Hellenistarum.

203. QUINTA DIFFICULTAS est de libris quorum interpretationi Seniores incubuerunt, utrum scilicet solum Pentateuchum, vel etiam totam Veteris Testamenti Scripturam verterint? Quocirca si totum venerandum antiquæ Ecclesiæ Christicorum spectemus, firma videtur sententia asserens, omnes Veteris Testamenti libros fuisse a Septuaginta translatos, ut nonnisi Neoterici pro more ad mare magnum suorum dubiorum, hanc quoque veritatatem amandent: qua de caussa, brevitati studens, missa facio testimonia Justini, Irenæi, Origenis, Tertulliani, Eusebii, Chrisostomi, Epiphanii, Augustini amico

voto

[a] *Proleg.* xx. *p.* 368. *col.* 1. *in margine.*

voto ſuffragantium ; quæque paſſim referunt Theologi, Fraſſen (*a*) Salmeron (*b*) & animo tantùm occurrit triplicem rationem ſuppeditare. *Prima* Demetrius Phalereus, totius negotii promotor, benè noſcebat, apud Judæos non ſolum Pentateuchum, ſed & multorum Prophetarum libros, vaticiniis, & Hiſtoriis refertos fideliter, atque religioſe cuſtodiri ; ſi hoc non ignorabat, ſane Ptolomæo pandidit, atque ita quis credet hunc Regem bonis litteris ornatum, affectum incredibili ſtudio comparandi in ſua Bibliotheca omnia antiquitatis monumenta, voluiſſe prætermittere tot eximias Scripturas, imo tot præclara vaticinia, quæ multò longe notitia præceptorum legis, atque Hiſtoriarum ingeniis hominum majorem curioſitatem ingerunt? *Præterea* ipſimet Neoterici, (quorum verticinoſos cogitatus Buddeus (*c*) hac in parte ſuo calculo probat) agnoſcunt fuiſſe inter Helleniſtas, puta Judæos Alexandriæ, & finitimarum terrarum, qui rejecta Septuaginta Interpretum verſione circa initium ſecundi Seculi ſuſceperunt cogitationes de novis verſionibus Græcis concinnandis, ut Aquila, Symmachus, & Theodotion ; atqui iſti non ſolum Pentateuchum, ſed & aliis Veteris Teſtamenti libros Græco ſermone verterunt. *Tertia* conſtans opinio eſt Chriſtum, & Apoſtolos verſione Septuaginta fuiſſe uſos (*d*); ſed Chriſtus & Apoſtoli allegant teſtimonia Græcæ verſionis, etiam quoad libros Prophetarum. Tandem *apud omnes*, inquit *Waltonus cit. in confeſſo eſt, & tam ex Judaica Hiſtoria, quàm ex Novo Textamento conſtat, & legem & Prophetas Lingua Græca in Synagogis publice prælecta fuiſſe*; quis igitur affirmare audebit, ſolam Pentateuchi, & non aliorum Prophetarum lectionem in Synagoga reſonaſſe?

204. Si quæ in præſentia negotium faceſſunt duo profecto

(a) *Proleg. VI. p. 61. col. 2.* (b) *Lib. II. Diſquiſ. Bibl. Cap. III. §. V. n. 21. p. 257.* (c) *Iſago. Cap. VIII. de Theol. Exegetica p. 1322. col. 2.* (d) *Vide N. 183.*

fecto sunt: I. desumptum ex testimoniis Hilarii, Aristæa, Philonis, & Josephi, qui tantùm meminerunt librorum Mosis sive legis. II. Ex Hieronymo pluribus in locis qui nixus relatione Aristææ, Josephi, necnon scholæ Judæorum tradit quinque tantùm libros Mosis fuisse a Septuaginta translatos; verùm inania ista sunt atque futilia; hinc ad primum. Quum Mosis legislatoris gloria apud externos populos nimis pervagata fuisset, idcirco omnes sacri libri nomine legis veniebant: ipsemet incarnatus Dei filius nomine legis insignivit librum Psalmorum (a) *Nonne scriptum est in lege vestra, quia* (b) *ego dixi: dii estis.* Joan: (c) *ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: quia* (d) *odio habuerunt me gratis.* Eandem nomenclaturam sequutus est Apostolus qui Cap. III. ad Rom.; quum nonnullos versus Psalmorum recitasset, *quæcumque* inquit v. 19. *lex loquitur iis qui in lege sunt, loquitur.* Et rursus (e) *in lege scriptum est, quoniam* (f) *in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic.* Quoad eandem loquendi rationem olim prçiverat Isaias, qui (g) nomen legis libro suo inscribit: *Percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorræ.* Nihil igitur obest si Aristæas, Philo, & Josephus tradant libros legis, vel Mosis fuisse a Septuaginta translatos. Ad secundum nemo ut Hieronymus tam diserte tradit, Seniores totum Vetus Testamentum Græcis litteris mandasse, ut liquidò constat ex ejus præfationibus in libros non solùm Pentateuchi, sed quoque Josue, Paralipomenon, Esdræ, Job, Psalterii, fereque omnium, imo ex sexcentis aliis locis suorum scriptorum: ex quibus quàm aperte colligitur non ex propria sententia interdum dixisse Septuaginta vertisse quinque tantum libros Mosis; sed dumtaxat retulit opinionem scholæ Judæorum, quæ

Kk stricto

(a) *Matth.* x. *v.* 34. (b) *Psal. LXXXI. v. 6.* (c) *Cap.* xv. *v.* 25. (d) *Psal. XXIV. v.* 19. (e) 1. *ad Corinth. Cap.* xiv. *v.* 21. (f) *Isaiæ Cap. XXVIII. v. II.* (g) *Cap.* 1. *v.* 10.

na: (*a*) atque ita opere pretium duco paucis dispicere quæ circa multitudinem Græcarum versionum viri docti observant.

207. PRIMO enim inquirunt, utrum ante versionem Septuaginta alia vetustior fuerit sacrorum Bibliorum Græca interpretatio? Et quamvis nonnulli absolute inficientur, mihi tamen allubescit opinio Frasseni (*b*) Nulla antea extabat perfecta sincera & accurata sacrorum Bibliorum Græca versio, quæ cum editione Septuaginta posset comparari; tametsi aliqua saltem imperfecta, & aliquorum dumtaxat librorum interpretatio jam esset in usu, quodque accedente postea editione Septuaginta tanto confecta apparatu, tantisque elogiis ac encomiis celebrata, illa primùm negligi, deinde haberi despectui, tandem prorsus reiici cœpit. Et sane si ante Ptolomæi tempora exacta atque perfecta editio Græca fuisset, haudquaquam tot curis totque sumptibus hic studuisset novæ Græcæ versioni habendæ; quod verò interpretatio aliqua saltem imperfecta fuerit idem Frassenus probat testimonio Aristobuli ab Eusebio prolati (*c*) quique Aristobulus refert, Platonem præcipua suorum dogmatum capita e Prophetarum fontibus hausisse. *Nam ante Demetrium illum Phalereum, adeoque ante Alexandri ac Persarum imperium, ea jam omnia Græce ab illis conversa fuerant, quibus illa Hebræorum populorum nostrorum ex Ægypto migratio, tum eorum series, quæ cælitus ipsis evenere promissæ regionis occupatio, & universæ legis expositio continetur: nemini ut dubium esse possit, quin suos in libros, laudatus inde philosophus pleraque derivarit. Fuit enim is lectionis plurimæ: quemadmodum & Pythagoras, qui e nostris selecta quoque permulta suis illis decretis inseruit. Post, Regis Ptolomæi cognomento Philadelphi, avi tui tempore, qui omnes hoc in*

(a) *De hujusmodi quæstiuncula sufficienter differetur Capite* IV. *quàm agemus de Vulgata vetere Latina.*
(b) *Disq. Bibl. Lib. II. Cap. III.* §. VI. *p.* 259. *& seqq.*
(c) *Lib.* XIII. *Præpar. Evang. Cap.* XII. *pag.* 664. *A.*

genere studio, & magnificentia superavit, integram eorum qui nostras ad leges pertinebant, omnium interpretationem, præcipua demetrii Phalerei totum negotium moderantis opera laborarunt. Quibus aperte innuitur ante Philadelphi tempora extitisse quidem Græcam Bibliorum versionem sed non integram; quia dicit præcipua opera Demetrii Phalerei moderantis totum negotium Septuaginta Interpretum, integram interpretationem librorum, qui ad Hebræorum Scripturas pertinebant, laboratam fuisse.

208. Hoc ipsum suadet Philo (*a*) *Lex antiquitus Scripta fuit lingua Chaldaica, mansitque longo tempore in ea, quamdiu legis ipsius pulchritudo non est intellecta ab externis hominibus. Postquam autem ex quotidiano ejus usu etiam ad alienos sensus quidam permeavit, simul gloriosa quoque fama ubique terrarum increbuit ..... Extiterunt qui indigne ferrent, has leges parti tantum humani generis innotuisse, Græcas gentes nullum earum gustum cæpisse: dederuntque operam, ut verterentur per idoneos Interpretes. Id opus, quia magnum erat, & reipublicæ utilissimum, non privatis hominibus obvenit, non mediocribus istis principibus, & regulis, sed Regi omnium celebratissimo. Ptolomæus is fuit.* Hæc Philo; quibus demonstrat ante Ptolomæum fuisse aliqualem Judaicæ legis Græcam interpretationem, ab aliquibus tamen parvi pensi habitam, ut quæ non ab idoneo Interprete, & sub inclyto Ptolomæo a Septuaginta senioribus sincere, ac integre profectam.

Etiam Josephus adjuvat judicium nostrum, qui testimonio Clearchi discipuli Aristotelis refert (*b*) hunc peripateticorum Principem usum fuisse Hebræo homine ad Scripturæ interpretationem. Saltem igitur hujus Judæi interpretatio præcessit versionem Septuaginta.

Clemens Alexandrinus apertissime suffragatur, quum ni-

[a] *Lib. II. de Vita Mosis pag.* 453. *col.* 2.
(b) *Lib. I. cont. Apion. pag.* 492.

nixus calculo Aristobuli ita scribit. (a) *Ante Demetrium autem priusquam rerum potirentur Alexander & Persæ, versa fuerant, & quæ ab Hebræis nostris gesta fuerant in exitu ex Ægypto, & quæcunque ejus insignia & facta erant, & apparuerant &c.* Et pro comperto habens antiquos Philosophos, potissimùm Platonem sacris Scripturis incubuisse, paulo infra exscribit verba Numenii Phylosophi Pythagorei dicentis: *Quid enim est Plato nisi Moses qui loquitur Attice.*

209. Baronius tandem quamquam ad oppositam sententiam vehementer inclinet, adhuc isthæc ingenue fatetur: (b) *Omnium propemodùm esse sententiam, ante Septuaginta editionem, aliam incerto auctore pervulgatam fuisse Græcam translationem, ante tempora Alexandri Magni, ex qua tum Plato, tum complures alii Philosophi nonnulla accepisse noscantur.*

Idcirco tamen veriorem existimat adversam opinionem. I. Quia Platoni, Pythagoræ, Aristoteli, aliisque id genus potuit divina Scriptura innotescere potius quodam usu, & viva voce, Judæo homine aliquid illis dictante, & interpretante quàm ex aliqua Scriptura Græce scripta, atque omnibus pervulgata. II. Quia Demetrius Ptolomæo interroganti, unde factum esset, ut nullus Græcus Historicus, vel Poeta tam admirandarum Scripturarum Hebræorum mentionem fecerit, respondit, neminem id fecisse propter pœnas quas tulerunt Theopompus & Theodectes, quorum primus quum curiosior fuisset circa divinas litteras, easque voluisset proferre humanis auribus insania laboravit; & secundus in quadam tragœdia nonnulla e sacris libris admiscens tamdiu oculos habuit glaucomate suffusos quamdiu duravit erratum agnoscere, sibique Deum placidum dare. III. Quia si fuisset aliqua vetustior editio haud illa Demetrius caruisset, qui tam in-

(a) *Lib. I. Strom. pag.* 342. *B.* (b) *Ad an. Chris* 231. *n.* x. *Tom. II. p.* 489. *col.* 2.

machanus e secta Protestantium inter quasdam somniatas opiniones, quas in suo Syntagmate de interpretatione Septuaginta vulgavit, autumat duas sub Regibus Ægypti elucubratas fuisse Græcas Bibliorum versiones, primam sub Ptolomæo Philadelpho, alteram Alexandriæ sub Ptolomæo Physcone, qui regnavit circa an. 117. ante Christum. Adiicit, teste Frasseno (a) hanc Alexandrinam versionem tametsi spuriam adhuc passim ab omnibus receptam, repositam in Cleopatræ Bibliotheca, imo pro vero ac genuino fœtu Septuaginta Interpretum re & nomine habitam. Adversus hance neniam jamdudum stylum acuit Henricus Valesius, (b) cui adstipulati sunt cæteri viri docti potissimùm noster Frassen. Et sane quia nemo ex veteribus hujus Alexandrinæ Versionis, ut distinctæ a versione Septuagiata mentionem facit; & ne dicatur argumento nos niti mere negativo, velim notes hisce in rebus quæ facta veterum spectant, ex alto horum silentio validum argumentum exurgit; quum testimonio nonnisi antiquorum nobis præterita innotescant: & fortius evadit contra eosdem Neotericos, qui pro Regula præcipua critices, qua veluti lydio lapide utuntur ad dignoscenda acta narrationesque veterum, statuunt: *Non est admittendum factum Historicum quod ab auctoribus, ejusdem, aut ferme ejusdem temporis non confirmetur*; Et Dupinus cum Fleurio contendunt (c) *Nauci habendum quidquid novitius auctor enunciat haud innixum testimonio veteris alicujus Scriptoris, qui rei gestæ ætate, vel certe propiori, vixerit*; quid ergo dicemus quum elucubratio hujusmodi Alexandrinæ versionis neque ab auctoribus ejusdem, aut ferme ejusdem temporis, neque a scriptoribus serioribus confirmatur? Imo Philo, Josephus, Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Hieronymus non solùm caussas, tempus, auctores non commemorant, sed & nec verbum

unum,

(a) *Disquis. Bibl, Lib. II. Cap. III.* §. VIII. *pag.* 261. (b) *Epist. ad Usserium posita ad calcem suæ editionis Hist. Eccles. Eusebianæ.* (c) *Apud Honorat. a. S. Maria in Animadv. Crit. Lib. I. Disser. II. Tom. II. p.* 23.

unum, ex hujusmodi Usseriana versione probationis vel reprobationis caussa, citant. Mirabile quidem dictu, quod ubi præfati cæterique veteres minime percensere omiserunt tum Historiam versionis Septuaginta, tum ejusdem passim laudare testimonia, tum etiam nomina auctorum qui novas Græcas versiones ex Hebræo prodierunt, aut eorum qui emendarunt; omnes postea voluerint altissimo silentio præterire etiam minimam commemorationem illius versionis, quæ ad voluntatem Usserii fuit ab omnibus recepta, in Bibliotheca Cleopatræ reposita, habita pro vera & germana interpretatione Septuaginta; & titulo quoque Septuaginta seniorum nobilitata. Dixi Neotericos uti ea Regula Critices, quia re pensiculatius inspecta, nimio ea abundat rigore: namque, ut erudite probat Honoratus a S. Maria loc. cit. suspicionem affert iis omnibus quæ tum antiqui, tum recentes Historici, quæque ipsimet critici non sunt ausi ire inficias.

211. Præterea si autumata Alexandrina versio fuit communi voto recepta, dicatur quæso, ubi, quando, & a quibus usu posita? Non enim ante adventum salvatoris, quoniam Dominus ejusque Discipuli nuspiam hujusmodi infandum reticuissent, permittendo scilicet, ut versio quæ, Usserio teste, spuria erat ac subdititia pro vero puroque scripturæ Textu haberetur: liquet pariter ex dictis Sacerdotes, Principes, universumque populum Judæorum, qui habitabant Jerusalem & Alexandriæ, ex eo jam tempore quo coram Ptolomæo Philadelpho agnoverunt versionem Septuaginta rectam esse, sanctam, & per omnia perfectam, pariter cæpisse eandem usurpare in publicis, & privatis lectionibus loco Hebræi Textus, eaque in Synagogis tempore Christi & Apostolorum uti: (a) item constat ante adventum Salvatoris nullam Judæos Hebraizantes aut Hellenistas habuisse caussam corrumpendi vel dimitendi tot annorum circulo consecratam versionem: (b) item

(a) *V. N.* 183. (b) *V. N.* 116.

item Josephi temporibus anno circiter XCIII. post Christum natum Judaicam gentem tanta veneratione divinas Scripturas, prosequi ut pro earum tutela si opus fuisset libentissime pertulissent mortem: (a) & tandem si qua fuisset caussa condendi novam versionem Græcam, maxime circa initium secundi Seculi in quo Judæi Hebraistæ, & Hellenistæ non amplius pati valentes ex testimoniis versionis Septuaginta convinci de Christiana fide hanc cœperunt odio habere, & corruptelis conspurcare, (b) ast hoc tempore accidisse elucubrationem Alexandrinæ versionis Usserius nec affirmat, nec affirmare poterat; quoniam corruptis exemplaribus viralis versionis, ubi & a quibus substituta fuerit allegata Alexandrina versio, non modo nullo testimonio legitimo innotescit, sed præclarissimus S. Hieronymus penitus contrarium suadere videtur. Verum enim vero Præf. in Paralipom. refert Alexandriam, & Ægyptum laudasse versionem Septuaginta emendatam ab Esychio, Constantinopolim & Antiochiam probasse eam quam Lucianus Martyr perpolivit, intermedias verò provincias usos fuisse codicibus Origenis per Eusebium & Pamphilum evulgatis; atque ita flocci faciendam opinionem Usserii, ut quæ ex veteribus nullum habet suffragatorem, ut potius non unum refragatorem.

212. Usserii tamen assentatores in isthæc momenta erumpunt. I. Septuaginta Seniores quinque tantum libros Pentateuchi Græco Sermone reddiderunt, igitur quoad alios sacros libros hodierna Græca versio non est fœtus illorum interpretum, sed Alexandrinorum: quod plane restauratur ex eo quod in istis resonat dialectus Alexandrina diversa scilicet & distincta ab ea quam præseferunt quinque libri Mosis. Hinc Buddeus (c) profitetur se probasse sententiam eorum qui *Veteris*, inquit, *Testamenti libros canonicos non ab uno eodemque auctore*, *sed*

 a va-

(a) *Vide N.* 117. (b) *Vide N.* 118. (c) *Isag. Cap. VIII.* §. v. *p.* 1321. *col.* 1.

a variis, non multo tamen diverso tempore Alexandriæ in gratiam Judæorum, qui græca lingua utebantur, translatos statuunt. II. Quia Hieronymus utroque pollice consignat duas extitisse versiones Septuaginta unam puram incorruptam, & immaculatam, quam Origenes in Exaplis posuit & ipse Latino sermone vertit; alteram verò pro locis; temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum corruptam editionem. (*a*) Tandem apud Scriptores tum veteres tum recentes passim fit mentio versionis Alexandrinæ, quæ nonnisi a Judęis Alexandrinis quos habuit auctores. Verùm ad ableganda hujusmodi spicula, opus non est, longo sermone animum convertamus. Primum jam satis occupatum tenes; (*b*) nec intentum Usserii directe probat, quoniam si Septuaginta Seniores Pentateuchum tantùm sunt interpretati, cæteros vero Scripturæ libros Judæi Alexandrini jam non duplex, sed una tantùm fuit Græca versio. Additum plane admiratione non caret, ut quo noviter reseratur nobis quod veteres Græci, & Latini tametsi præ oculis habentes, eos tamen omnes penitus fugit; quis ne istorum hanc discrepantiam comperisse testatur inter dialectum Græcam Pentateuchi, & aliorum librorum versionis Septuaginta? certe quod ex capite suo somniant Neoterici volunt mundo pro veritate ingerere: adde quod non semper dissonantia dialecti, & styli arguit diversitatem auctoris, & maxime ubi Spiritus Sanctus peculiari auxilio assistit, ut patet de Epistola Pauli ad Hebræos, quę est elegantior aliis paullinis; & de secnnda Petri quę propter styli cum priore dissonantiam a nonnullis expungebatur a canone sacrorum librorum, ut olim notavit Hieronymus (*c*) ea de re Buddæo cujus scopus in Isagogis est fucum facere suis, horum varia recitando judicia, indigestaque prætereundo, nihil dicere occurrit. Secundum momentum quod giganteum apparet, si radicitus considere-

tur

(a) *Epist. CXXXV. ad Suniam. & Fret. Tom. III. p.746.B.* (b) *V. N.*103. (c) *Catalogo de Script. Eccl.Tom.I. p. 265.col.2.& 270.col. .1.*

tur in illum profecto desinet qualem in aere formant nubes mox vi radiorum solarium evanescentes. Hieronymus enim ibi loquitur de duplici editione Septuaginta; non quatenus una fuisset Septuaginta seniorum altera Alexandrinorum: sed in quantum eadem versio Septuaginta seniorum duplici editione circumferebatur; una appellabatur: communis & vulgata, altera reperiebatur in exaplis Origenis; illa corruptelis obnoxia, hæc ab Origene emendata, ut accuratius explicabimus infra. (*a*) Sicque ad tertium: si quod veteris testimonium laudatur in quo habeatur mentio versionis Alexandrinæ, dumtaxat indicatur ipsa versio Septuaginta Interpretum prout elaborata fuit in insula Pharon prope Alexandriam, vel quam emendavit Esychius, quaque Alexandrini utebantur.

213. TERTIO tametsi ex præfatis constet, unam ante Christi extitisse sacrorum Bibliorum versionem sinceram, atque perfectam, eam nimirum quam Septuaginta Interpretes elaborarunt; ineunte tamen secundo Seculo, quemadmodum ex una parte nonnulli patria vel secta Judæi, ut infuscarent quæ de Christo relucebant oracula, curarunt novas editiones edere, ita & aliis de Christi Ecclesia benemeritis viris studio fuit a corruptelis irreptis eandem versionem pro viribns emendatam prodere. Aquila patria Sinopensis quum Jerosolymis versaretur, vidissetque miracula quæ a Christi discipulis fiebant, baptismum suscepit; inde renuens vitio superstitionis, cui inhærebat, mittere nuntium, anathematæ percussus, ira obidque percitus Christum abnegavit: *Sed quo posset dicere*, refert Le Jay (*b*) Hominem abnegavi non Deum *Hebraicæ Linguæ adipiscendæ sedulò navavit operam*: quo facto Sacros libros circa an. Christi CXXIX. interpretatus est. Symmachus a Samaritanis ad Judæos confugiens, inde Christianam Fidem professus, tandem declinans ad Ebionitas aliam Græcam versionem

(a) *N.* 232. *& seqq.* (b) *Penes Frass. disquiss. Bibl. Lib. II. Cap.* IV. *n.* 1. *pag.* 270.

non secundum verbum, sed tantùm sententias aggressus fuit circa an. CC. Theodotion Ephesius ex auditore Tatiani ad Marcionitas accessit, postmodum transit ad Judæos, & proselytorum numero adscriptus, & aliam ex Hebræo Interpretationem Græcam parturivit, anno CLXXXIV. Ubi nota quod tametsi Theodotion cum sua versione præivit Symmacho, idcirco tamen posterior recensetur ab Epiphanio & Athanasio quia, observat Frassen cit., eo ordine isti Græcas editiones numerarunt, sicut in Exaplis Origenis erant insertæ, in quibus tertio loco Symmachi, quarto Thæodotionis editio collocata fuit: & isti tres odio Christianæ Fidei *multa*, testatur Hieronymus (*a*) *mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt*.

214. Præfatis quatuor Interpretationibus puta Septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis accesserunt duæ aliæ sine auctorum nominibus; & quoniam una circa an. Chr. CCXIX. in dolio cum aliis Hebraicis Græcisque codicibus inventa fuit in Urbe Jericho, altera anno CCXXVIII. Nicopoli, in locis etiam subterraneis, idcirco Quinta editio accepit nomen *Jerichuntinæ*, Sexta *Nicopolitanæ*. Septimæ quoque versionis Græcæ Hieronymus mentionem facit in Catal. Scriptorum Eccles. (*b*) *Et Septimam*, inquit, *editionem*, *quam etiam nos de ejus* Origenis *bibliotheca habuimus*, *miro labore reperit*, *& cum cæteris comparavit*: de qua dissidium est inter eruditos, utrum ista confundenda sit cum Lucianea vel diversa & distincta; verùm quum nullius fructus conspiciam, ne inventum laborem, subscribo Joan. Morino hocce incertum inutileque negotium (*c*) aliis, quibus lubet divinandum, relinquenti; & tantùm scito, hujus sicut & Quintæ & Sextæ editionis non solum Au-

(a) *Præfat. in Job.* (b) *Tom.* 1. *pag.* 294. *col.* 1.
(c) *Præfat. ad Bibliam* LXX. *penes Valton. proleg.* IX. §. 20, *p.*327. *col.* 1.

Auctores latent, ſed nec quoque conſtat utrum bono ; vel malo conſilio elucubrarint; quoniam & ſi non deſint qui illarum Auctores Chriſtianos faciant, Hieronymus tamen Quintum, & Sextam (*a*) tribuit Judæis translatoribus.

215. Hujuſmodi editiones, quibus conſpurcata verſio Septuaginta multiplici varietate compugnabat, occaſioni fuerunt Origeni edendi *Tetraplam*, *Exaplam*, & *Octaplam* ſive Polyglottas quas triſariam exaravit. Vox polyglotta originem ducit a dictionibus Græcis *poli*, & *glotta* ſive multum & lingua, proindeque non aliud ſibi vindicat niſi tabulam conſtantem multis columnis, in quibus totidem linguis, vel verſionibus eadem ſacri Textus ſententia deſcribitur. Origenes itaque Polyglottarum auctor compoſuit eas hac lege, nempe *Tetraplam* quatuor columnis confectam, *Exaplam* ſex columnis, *Octaplam* columnis octo. In quatuor columnis *Tetraplæ* e regione deſcripſit primò loco editionem Septuaginta, ſecundo loco Tranſlationem Aquilæ, tertio loco Symmachi, quarto tandem Theodotionis; ſed brevitatis ſtudio, necnon claritatis ſubiiciuntur figuræ ſingulæ.

Figura Tetraplæ in ſingulis paginis.

I.	II.	III.	IV.
Verſio Aquilæ	Verſio Symmachi	Verſio Septuaginta Interp.	Verſio Theodotio.

Figura Exaplæ.

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
Textus Hebræ.	Idem Textus Græcis litteris.	Verſio Aquilæ	Verſio Symmachi	Verſio Septuag. Interpr.	Verſio Theodotion.

Figura Octaplæ.

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.
Textus Hebraic.	Idem Textus Litteris Græc.	Verſio Aquilæ	Verſio Symmachi	Verſio 70. Int.	Verſio Theodotion.	Verſio Jerichunti.	Verſio Nicopolitan

216.

(a) *Lib. II. in Ruffin. cap.* IX. *Tom. II. pag.* 519. *F.*

216. Recto sane consilio, atque zelo consulendi communi bono Christianæ Ecclesiæ, e cujus immaculato sinu Sacras Scripturas Judæi avellere molibantur, Origenes tot tulit insumptus strenueque exantlatos labores. *Excussi* velim & critici nostri isthæc Origenis verba corde recogitent (*a*) *omnes omnium editiones, & varietates, ut collocata varietate translationum, melius intelligerem Septuaginta interpretationem, & illius sensus sacros eruerem. Non enim fuit consilium cudere quidquam, quod discreparet a Scriptura in Ecclesia Catholica recepta, neque volui dare ansam iis, qui quærunt occasiones, ut res receptissimus cavillentur, & communem sententiam Ecclesiæ damnent;* hoc tamen non obstante minime tamen arbitrandum est, Origenem in suis polyglottis ita accuratum fuisse, atque exactum quominus meruerit a Hieronymo in culpam interdum vocari, ut paulo infra referemus.

217. Eodem tandem Religionis Christianæ zelo, *Octavam* celebrem versionem Græcam condidit S. Lucianus, qui ann. Christi CCCXII. pro fide Christi Martyr occubuit in Civitate Nicomediensi. *Nonam* verò atque postremam Hesychius Episcopus Alexandriæ vel alterius Civitatis Ægypti, & Eusebio referente (*b*) in decima pariter Ecclesiæ persecutione martyrio coronatus. Bibliam Hesychii laudavit Alexandria & Ægyptus, Constantinopolis autem eam Luciani. *Alexandria*, fert Hieronymus (*c*) *& Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat Auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat.* Tandem quidquid super existentia & præsentia harum versionum videatur modernis criticis, mihi arridet adhærere Frassennio hac de re scribenti (*d*) *Ea autem fuit omnium ipsarum Græcarum editionum lugenda sors, ut universæ perierint, si Origenianam excipias,*

(a) *Laudata a Frasseno Disq. Bibl. Lib. II. Cap.* IV. *n.* V. *p.* 373.
(b) *Lib. VIII. Hist. Eccl. cap.* XIV. *penes Frass. cit. pag.* 276.
(c) *Præfat. in Paralip.* (d) *Loc. cit. pag.* 276.

pias, quæ maxima ex parte conservata videtur in antiquissimis illis codicibus, unde Complutensis Basileensis, & potissimum Romana editio Græca prodiit; aliarum tamen quædam vestigia apparent in Commentariis Theodoreti, & S. Hieronymi aliorumque veterum Patrum, qui suas in Scripturam Sacram lucubrationes scriptis mandarunt; quoniam ut antea animadvertit Andreas Masius (a) quum hanc intetpretationem, quam ex Septuaginta Vulgata & ex versione Theodotionis Origenes concinnavit, omnes describerent, hac una contenti essent, idcirco brevi cæteræ neglectæ jacuerunt, atque paulatim interciderunt.

218. Sic igitur perspecta Græcarum versionum multiplicitate, de illius integritate nos unice in præsentia agemus, quam Septuaginta Seniores elaborarunt, Synagoga prælegit, Christus & Apostoli usu suo probarunt, & Waltonus passim invehitur in eos qui tradunt versionem Septuaginta sinceram non esse, neque authenticam. Quare eò progressus est, ut affirmaret: (b) *Hieronymum omnem occasionem captasse versionem hanc deprimendi, quo facilius suam ex Hebræo traductam in Ecclesiam Latinam introduceret*; & de Catholicis DD. *Postquam enim*, habet, (c) *Concilium Tridentinum Vulgatam Latinam pro Authentica habendam declarasset, hinc quidam Romanæ Ecclesiæ Doctores, licet contra mentem Concilii* o mirificus Tridentini interpres! *contra omnes alias versiones, præcipue contra Græcam, quæ cum Latina contendere videtur, insurgunt....... nec tantum contra versiones, sed contra ipsos fontes, & Textus originales calamos strinxerunt*. Nugas hasce quibus passim delectatur Waltonus exsufflavimus supra (d) quò lectorem remitto, hucque servata proportione adaptari possunt.

ASSER-

(a) *Præfat. in Græcam edition. Josue penes Critic. Sac. Tom. I. Par. 1. pag.* 34. (b) *Proleg. IX. §.* 51. *pag.* 343. *col.* 2. (c) *Prol. cit. §.* 36. *pag.* 337. *col.* 1. *V. N.* 10. & 11.

ASSERTIO.

Hodierna verſio Septuaginta Seniorum pleriſque ſcatet haud levibus vitiis ; ſicque tamquam corrupta cenſenda eſt ubi a Vulgata Latina diſcordat.

§. III.

Enunciantur veterum Recentiorumque ſententiæ.

219. Juſtinus (*a*) *Vos autem* , inquit , *in his quoque adulterare translationem Seniorum veſtrorum, qui apud Regem Ægypti Ptolomæum fuere audetis: allegantes non habere Scripturam ſicut illi verterunt* . Idipſum paulo ante indicat, quod exaravimus alibi (*b*) Imo haud infrequenter Textus verſionis Septuaginta aliter citantur a Juſtino, aliter in hodierna habentur ; & plane ludificat Waltonus dicens (*c*) : *Quæ ex Juſtino , aliiſque PP. adferuntur , quæ ab hodiernis codicibus differre videntur haud magni ponderis ſunt : nam PP. ſæpe memoriter verba Scripturæ citant ad ſenſum non ad verba reſpicientes : ſæpe per alluſionem referunt , ubi non ſenſum quærunt : aliquando codices habuere vitiatos* : nam ſi ita eſt cur alio in loco (*d*) ex convenientia verſionis hodiernæ cum teſtimoniis quæ in ſuis commentariis paſſim citant Hilarius , Cyrillus , Procopius , Origenes , cæterique infert hodiernam verſionem eandem eſſe cum ea, quam iſti commentariis illuſtrarunt ? certe hac ſua reſponſione ad laqueum volat , quoniam ſi præfata diſcordantia , quam libenter concedit , non probat depravationem in hodiernæ verſionis , nec ex convenientia quam haud univerſim admittimus , eruetur ejuſdem verſionis ſinceritas . Hinc ſatius , quum Concilium Tridentinum in Spiritu Sancto con-

(*a*) *In Dial. cum Tryhone pag.* 310. C. (*b*] *Vid. n.* 12. *& ſeqq.*
(*c*) §. 51. *pag.* 344. *col.* 1. (d) §. 40. *pag.* 338. *col.* 2.

congregatum innotuerit nobis, Vulgatam Latinam veterem esse ipsum Dei Verbum primitus a Sanctis hominibus Spiritu Sancto dictante exaratum litteris, deinde per Dominum Jesum Christum & suos Apostolos promulgatum, & tandem quasi per manus traditum ad nos usque pervenit, plane fit, quod neque convenientia, neque discrepantia hodiernæ versionis sive Septuaginta sive Vulgatæ Latinæ cum testimoniis veterum est argumentum sufficiens probandæ sinceritatis, vel corruptionis istarum, sed insuper requiritur, ut toti incumbamus ad observandum, utrum testimonia Scripturarum a PP. assumpta conveniant vel discordent a Vulgata hodierna quam Sixtus V. & Clemens VIII. a mendis irreptis summa adhibita diligentia castigarunt; atque tunc si concordare comperientur pro genuinis recipiemus, secus, poterimus uti responsione Waltoni quæ revera suo præsidio non caret, quamque Riccardus Simonius, Joannes Clericus & universi fere nostræ tempestatis critici expansis ulnis, amplexati sunt. Sed id unum cursim obiterque observes optem: si ipsorum criticorum testimonio veteres Patres sæpe memoriter verba Scripturæ citarunt, respicientes ad sensum dumtaxat & non ad verba, quomodo postea ipsimet acriter contendunt, ex collatione sententiarum Scripturæ quas plerique veteres Patres in suis scriptis citant, criminari Vulgatam correctam, dicentes, multa menda superesse in ea corrigenda, quoniam multis in locis non congruit cum sententiis veterum Patrum, nulla facta mentione de nuper data Waltoniana doctrina? Ipsis itaque ut rem rite tractent, non tantùm incumbit ostendere lectionem aliquam Vulgatæ correctæ discrepare a lectione Veterum; sed insuper liquatis momentis probare, quod non memoriter eam lectionem citarint illi veteres ad quos appellant; quod sane a nemine ipsorùm, quantum scio, hactenus præstitum est. Sed de hujusmodi negotio latiuscule differetur.

220. Irenæus (*a*) reprehendit Judæos malitiose transmutantes apud versionem Septuaginta locum Isaiæ (*b*) *Ecce adolescentula in ventre concipiet*.

Dionysius Alexandrinus (*c*) quæritur de corruptoribus suorum librorum, necnon Sanctarum Scripturarum dicens: *Epistola quorundam fratrum rogatu conscripsi. Atque eas ministris diaboli zizaniis refcrserunt, alia adjecerunt: Nec mirum certe, siquidem dominicas Scripturas dedita opera depravare aggressi sunt*.

Origenes (*d*) *Multam*, inquit, *differentiam inter exemplaria invenimus, sive per negligentiam scribentium, sive ex temeritate quorundam, sive propter eos qui negligunt emendare Scripturas, vel propter eos qui quod ipsis videtur in emendationibus, vel adjiciunt, vel subducunt*. Et Epist. ad Africanum (*e*) id adjudicat etiam subdolo consilio Judæorum.

221. Hieronymus Præfat. I. in Paralip. *Si Septuaginta Interpretum pura & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me, Chromati Episcoporum Sanctissime atque doctissime impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferre*. Item (*f*) *Si quis autem vobis opposuerit Interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa lacerata & inversa demonstrat, nec potest utique verum asseri quod diversum est*. Item (*g*) tradit maxima ex parte librum Job apud Septuaginta decurtatum reperiri; heinc aperit consilii sui rationem dicens: *Audiant quapropter canes mei: idcirco me in hoc volumine laborasse* (novam scilicet ex Hebræo versionem elaborando) *non ut antiquam interpretationem reprehenderem, sed ut ea, quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut certe Scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione*

(a) *Libr. III. adv. Hæres. Cap. XXVII. pag.* 296. C. (b] *Cap. VII. v.* 11.
(c) *penes Euseb. Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. XXII. pag.* 107. *B.*
(d) *Tract. VIII. in Matth. Tom. II. p.* 46. *L.* (e) *Tom. II. post Philocalia p.* 60. G. (f) *Præfat. in Esdram*. (g) *Præfat. in Job*.

tione fierent ; & alibi (*a*) *Ego enim non tam vetera abolere conatus ſum , quæ linguæ meæ hominibus emendata de Græco in Latinum tranſtuli, quam ea teſtimonia , quæ a Judæis prætermiſſa ſunt vel corrupta proferre in medium: ut ſcirent noſtri, quid Hebraica veritas contineret .* Item pluribus in locis teſtatur (*b*) apud Septuaginta non reperiſſe : *Ex Ægypto vocavi Filium meum* , & *Quoniam Nazaræus vocabitur*, & *videbunt in quem compunxerunt*, & *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* , & *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit &c.* cæteraque his ſimilia, quæ certe ſunt partes Scripturæ complectentes ſummam noſtræ Religionis, obidque in Novo Teſtamento a Chriſto & Apoſtolis citatæ. Tandem ut alia miſſa faciam in omnibus fere Hieronymianis ſcriptis res eadem paſſim occurrit: legeſis Quæſtiones Hebraicas (*c*).

222 Waltonus tot graviſſimis teſtimoniis fatigatus, & circumſeptus , tametſi contendat obliquis ſenſis nonnulla interpretari ; noſcens tamen oleum perdere, atque operam, ad aliam ſtropham devolvitur , tentans, conviciis & calumniis auctoritatem S. Doctoris , quoad hanc partem, deprimere. Ea de re ubi interdum dicit Hieronymum hyperbolice locutum eſſe , interdum , fortaſſe in aliquod exemplar mancum & imperfectum incidit ; tamen reſpectu oraculorum quæ Hieronymus affirmat non reperiſſe in Septuaginta reſpondet: (*d*) excepto primo, & fortaſſe tertio reliqua nec in Hebræo nec in Græco reperiri , heinc de vitio jactantiæ eum carpit : & alio in loco hocce nigrum thetà eidem præfigit . *Hieronymum*, ſcribit (*e*) *omnem occaſionem captaſſe verſionem hanc deprimendi, quo facilius ſuam ex Hebræo traductam in Eccleſiam Latinam ejus loco introduceret : nec tutò fidendum Hieronymo in iis quæ contra verſionem Septuaginta pro-*

 fert:

(a) *Epiſt. LXXXIX. ad Auguſt. Cap. VI. Tom. II. p. 636. H.*

(b) *V. N. 72.* (c) *Tom. III. p. 852. & ſeqq. Epiſt. CXXXV. ad Suniam & Fret. Eodem tom. p. 746. & ſeqq.* (d) *Proleg. IX. §. 39. p. 338. col. 2.* (e) *§. 51. p. 343. col. 2.*

224. Ut suo rete Waltonus facilius pisces caperet, atque sese venditaret Scriptoris fidelis gerere partes, ultro sibi opponit (*a*) illa Hieronymi desumpta ex Præf. in Paralip. ubi scribit : *Eos* Seniores *Spiritu Sancto plenos* , *ea quæ vera fuerunt transtulisse*, *sed Scriptorum culpæ adscribenda errata* & alibi se numquam Septuaginta interpretibus vel tantillum voluisse detrahere, ut latius supra retulimus(*b*)*: Hæc* ita respondet *loca tantùm probant*, *vel Hieronymum sententiam mutasse* , *vel cùm ab adversariis premeretur*, *quasi ipsis detraheret*, *ut invidiam a se amoveret*, *honorifice de* LXX. *scripsisse: cùm tamen in expositionibus*, *ubi libere quid sensit deprompsit*, *passim eorum interpretationem carpserit*: *unde videtur Hieronymum sui oblitum*, *interdum de hac re contraria scripsisse*. Hactenus ille*;* (*c*) sed sane nuspiam atque hoc in loco sicophantam se probat, contendens per trabem suam invenire festucam in Hieronymianis oculis*:* namque ex allegata sententia Hieronymi, quam ipse hic refert, debuisset etsi non plene satis tamen assequi Hieronymi mentem . *Eos* sic inquit *Spiritus Sancti plenos*, *ea quæ vera fuerunt transtulisse* , quis heinc non videt de mente Hieronymi Septuaginta Seniores ab omni prorsus erroris nævo suam versionem elucubrasse? *sed*, addit, *scriptorum culpæ adscribenda errata*, en quàm clarissime ostendit tum versionem Septuaginta suam puritatem amisisse , tumque id accidisse exscriptorum culpa , quamquam alibi (*d*) clarius se explicet id etiam Judæorum malitiæ tribuens . Quod si postea res ita se habet, viri quique eruditi judicent, utrum fronti Hieronymi conveniant eximia elogia, quæ Waltonus inurit. Certe nec primus nec solus est Hieronymus qui inter veteres agnovit in Septuaginta peculiarem Spiritus Sancti assistentiam(*e*). Pariter nec primus

nec

(a) §. 53. *pag.* 344. *col.* 2. [b] *Vide N.* 200. (c) *Hic est locus VValtoni*, *quem Riccardus Simonius*, *de quo num.* 25. *& seqq. egimus*, *expiscatus fuit*. [d] *Vide N.* 221. [e] *Vide N.* 189.

nec solus qui animadvertit versionem Septuaginta a pristina puritate excidisse, ut in præsenti paragrapho veterum calculo probatum imus; itaque calumniatur, quum tot conviciis Sanctum virum proscindit: *Sycophantarum* apposite Hieronymus per vaticinium eorum, de quibus passim a recentibus Nebulonibus accusatur, scripsit *& Postellorum est, nedum quæ non legerunt damnare, verùm & quod non intelligunt reprehendere.*

225. Suidas (*a*) *Lucianus*, inquit, *cum animadvertisset Sacros libros plurimùm esse vitiatos; quippe ipsum tempus, multa in eis corruperat, & perpetua aliorum in alia commutatio, quin etiam homines quidem pessimi Græcarum superstionum patroni, cùm vellent ea quæ in illis sunt, sensa pervertere; plurima in ipsis falsa, atque adulterina supposuerant. Lucianus igitur libros illos ex Hebraico sermone ingenti labore restituit; hanc enim etiam linguam maxima ex parte callebat.* Quod etiam legitur in actis Martyrii ejus apud Metaphrastem die 7. Januarii.

226. Thomas Stapletonus (*b*) *Christus & Apostoli usi sunt versione Septuaginta Interpretum, versione pura, & incorruptà; sed illa postea depravata fuit.*

Bellarminus (*c*) *Licet non ignorem nonnullos in ea sententia esse, ut existiment interpretationem Septuaginta Seniorum penitus interiisse: multò probabilius censeo, illam adhuc superesse, sed adeo corruptam & vitiatam, ut omnino alia esse videatur.*

In Præfatione Bibliæ Latinæ secundum Septuaginta editæ Romæ auctoritate Sixti V. *Cæterum*, legitur, *Interpretationem LXX. virorum ad Origenis tempora non usquequaque sinceram pervenisse sæpe S. Hierunymus admonuit: ex quo factum sit, ut non eadem prorsus apud omnes Ecclesias haberetur.*

227.

(a) *Penes Frassen Disquis. Bibl. Lib. II. Cap.* IV. *p.* 275.
(b) *In Controv. Fidei Controv. V. Quæst. III. art. II. p.* 522.
[c] *Lib. II. de Verbo Dei Cap.* VII. *col.* 82.E.

227. Serarius (*a*) *Fuit olim* hæc versio *sæpe ab Origene, Luciano, Hesychio correcta, ut supra explicatum. Ergo menda irrepserant. Quod si verò primis illis Christi seculis irrepserant, multò magis tot post secu'is irrepserunt, cum notæ illæ, quibus Tetrapla, & Exapla sua insignierat, & distinxerat Origenes, evanescerent, sicque plures versiones miscerentur, & confunderentur: & quædam verba ac sententiæ demerentur, adderentur.*

Natalis ab Alexandro (*b*) respondens Religiosis censoribus taxantibus hujusmodi propositionem: *Nostra vulgata emendanda ob errores quibus scatet* reponit hæc: *De communi illa editione Græca dixi, quod innumeris erroribus scateret, non de vulgata nostra Latina.*

Bonfrerius (*c*) differens de versione Septuagiota Sixtina *Hæc*, inquit, *omnium optima, quæ hactenus in Romana Ecclesia prodierunt, etsi & hæc subinde a veterum Patrum fragmentis diversa esse reperiatur; imo in nonnullis scripturæ partibus tanta est etiam hujus codicis a lectione ea, quæ apud Sanctos Patres est discrepantia, ut plane diversa versio videri possit.*

228. Frassen præcitato nuper testimonio Bonfrerii. *Ex quibus*, addit, *elicitur hanc versionem non censeri genuinam. Quod insuper innumeris exemplis confirmare licet, in quibus Romana hæc Septuaginta Seniorum editio non solùm a Vulgata Latina, sed etiam ab Hebræis fontibus, & Textibus, quos laudaverunt Sancti Patres, omnino discordat, ut videre est in notis, quos ad singula hujusce editionis Sixtinæ capitula Nobilius vir eruditissimus apposuit.*

Antonius Casinus (*d*) *Codicis Vaticani, qui nobis obiicitur, ætas incerta, fides inconstans, integritas multis partibus imminuta ... multa habet, quæ multò aliter ex Septuaginta citantur a Patribus.*

Riccar-

(a) *In Prolegom. Cap. XVIII. quæst. XX. p.* 94. *col.* 1.
[b] *Sec. II. Hist. Eccl. Dissert. XI. Quæst. I. art. II. tom. VI. p.* 390.
(c) *Prol. in Script. Cap. II. Sect. VIII. penes Fras. cit. p.* 268.
(d) *In Encyclop. prolegom. I. Disput. IV. p.* 30. *col.* 1.

Riccardus Simonius (*a*) *Dici nequit nihil hodie Græcæ versionis supereſſe* tamen *corruptiſſimam eſſe*, *& ejus corruptiones vetuſtiſſimas eſſe agnoſco.* Item (*b*) *codices Septuaginta Interpretum nobis pro norma eſſe nequeunt*; Et ne longius ſermonem protraham Waltonus quoque congruere videtur, quippe qui (*c*) bene agnoſcit multas, diſcrepantias inter Hebræum, & verſionem Septuaginta, & paulo infra, de Nobilio qui hanc verſionem a mendis reſtituit, affirmat, quod non omnia perfecit, quin multa adhuc reſtant in eodem genere peragenda.

§. IV.

Multiplex ratio ſuppeditatur.

229. *Primò* argumento palmari. Eſt concors eruditorum ſententia, pleraque loca reperiri in hodierna veſione Septuaginta quæ non ſolùm ab Hebræo, ſed quoque a Vulgata diſcordant; & quidem non in labeculis, aut rebus levioris momenti, ut paſſim Waltonus venditat; ſed gravioribus tam ad Religionem quàm ad ſubſtantialem Scripturarum integritatem ſpectantibus. Quis enim parvi penſi exiſtimabit interpolationes, quas paſſim annotavit Hieronymus, quæque jam ſuo tempore in omnibus codicibus verſionis Septuaginta irrepſerant? *Ex Ægypto &c.* (*d*) nec velim arbitreris iſtas tantùm reperiſſe; nota verba quæ immediate ſubdit: (*e*) *Cæteraque his ſimilia in Hebræorum libris inveniri, certe Apoſtoli & Evangeliſtæ Septuaginta Interpretes noverunt, & unde eis hæc quæ in Septuaginta Interpretibus non habentur*; & alia igitur præter aſſignata Religionem concernentia jamdudum ab omnibus codicibus Septuaginta excidiſſe Hieronymus de-

(a) *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. Lib. III. Cap. I. p.* 3. (b) *Lib. I. Cap.* XVII. p. 89. (c) *Proleg.* IX. §. 46. *p.* 342. *col.* 1.

(d) *Vide N.* 121. (e) *Epiſt.* CVII. *ad Cromatium quæ eſt Præf. I. in Lib. Paralip. Tom. III. p.* 685. *E.*

deprehendit. Quod si opponês cum Waltono rem aliter, atque testatur Hieronymus, se habere, consule enucleata superius. (a)

230. Quid dicemus de aliis insignibus corruptelis ad integritatem Scripturarum spectantibus? Etiam si de sola editione Sixtina, quæ communi eruditorum calculo, cæteris exemplaribus præstat, verba faciemus, tantis sane vitiis abundat, ut videatur relatu longum, operosum, & aliunde superfluum; heinc paucis, insignioribusque contentus ero. In Libro Exodi a Cap. XXXVI. usque ad XXXIX. inclusive, tam immani varietate discordat præfata Sixtina versio Septuaginta ab editione Vulgatæ Clementis, & Hebræo, ut non solùm in numeris & ordine, verùm quoque non conveniant in qualitate faciendorum operum attinentium ad constructionem Tabernaculi. Major pariter varietas reperitur, inter eandem Versionem Sixtinam & Vulgatam cum reliquis translationibus Cap. III. Lib. III. Reg.; quoniam inter primum & secundum versiculum Vulgatæ nostræ, plusquam octoginta versus intercedunt apud versionem Septuaginta, quos nullibi vulgata consignat. Item Cap. XII. ejusdem Lib. inter versiculum 24. & 25. Vulgatæ, multa comperiuntur in prædicta versione Septuaginta repetita, transposita, confusa, & male cohærentia, quæ trascendunt octoginta versiculos. Denique in toto Textu biblico veteri passim occurrunt materiæ, quæ non iisdem in locis, & eodem ordine referuntur in Septuaginta atque in vulgata, cui magis respondent cæteræ Translationes. Videsis Polyglottam quam sub auspiciis Eminentissimi Cardinalis DD. Scipionis Burghesii edidit Venetiis Fortunatus Fanensis Ordine Eremitarum S. Augustini, necnon a S. Congregatione Cardinalium approbatam.

231. *Secundò* Dicere versionem Septuaginta corruptionem non subiisse in rebus gravioris momenti, perinde

Nn est,

(a) *Vid. n.* 71. *& seq.*

est, ac irritum declarare exantlatum Origenis laborem in elucubrandis Polyglottis; quoniam ob parvas labeculas ortas ex scribarum incuria, quæque nec ad fidem, nec ad mores spectabant tot tulisset sumptus, totque fudisset inexaustos sudores; hoc ipsum repetere possemus de Luciano & Hesychio, quo quid ineptius nemo non videt; namque Origenes animi sui consilium, quo celebre opus aggressus fuit, explicans, (*a*) aperte testatur ob versiones Græcas a Judæis malitiose corruptas & evulgatas, quibusque scripturæ confusæ erant, & haud faciliter cognoscebatur, utrum lectio aliqua fuisset fœtus Septuaginta, vel inimicorum Christianæ fidei, ob id, inquam, fatur exercuisse mentem suam: *Si non est quidem certe grave, & arrogans dicere, hoc gnaviter & pro viribus fecimus, ut mentem nostram exercemus in omnibus editionibus, & earum differentiis, cum eo quod longe magis exercebamus Interpretationem Septuaginta, ne videremur aliquid falsi & adulterini inducere in Ecclesias quæ sunt sub Cælo, & daremus prætextum iis qui quærunt occasionem, & volunt eos qui sunt in medio calumniari, & eis qui sunt in communi criminari. Exercemus autem, ut non ignoremus etiam eas quæ sunt apud illos; ut cum Judæis differentes, eis non adducamus quæ sunt posita in eorum exemplaribus, & ut cum eis utamur iis quæ apud illos habentur, & non sunt in nostris libris*; Hucusque Origenes, qui in apricum videtur ponere, quàm ingentibus vitiis versio Septuaginta sua jam tempestate scatebat. Quod quoque par fuerit consilium Luciani & Hesychii satis ex dictis. (*b*)

232. *Tertiò* Quoniam ex una parte omnes amico voto asserimus, versionem Septuaginta Sixtinam inter cæteras Græcas editiones, quoad integritatem & authentiam, principem tenere locum; & alia ex parte nonnulli volunt hanc eam esse, quam Lucianus edidit, & Hieronymi tempore

pore

[a] *In Matth. Tract.* VIII. *Tom. II. p.* 46. *L.* [b] *V. Num.* 225.

pore Lucianea appellabatur, alii, quæ continebatur in Exaplis Origenis, idcirco ita argumentum auſpicor. Hieronymus, cui hoc in rerum themate maxime fidendum eſt, non ſemel teſtatur tam verſionem Lucianeam quam quæ in Exaplis, corruptas eſſe & depravatas; igitur verſio Septuaginta Sixtina ſive Lucianea ſit, ſive illa Exaplorum eſt corruptelis obnoxia. Probatur prior propoſitio. Epiſtola ad Suniam & Fr̀ætelam (*a*) in anteceſſum poſito, aliam eſſe editionem quàm omnes Græciæ tractatores communem appellabant & Vulgatam, & a pleriſque dicebatur Lucianea; aliam verò quæ reperiebatur in Exaplis Origenis, & a ſe in latinum ſermonem verſa, quæque Hieroſolymæ atque in Orientis Eccleſiis decatanbatur, poſt pauca (*b*) conceptis verbis affirmat: editionem illam communem pro voluntate Scriptorum veterum fuiſſe corruptam; nulli ergo dubium erit, verſionem Septuaginta Sixtinam corruptam eſſe, ſi Lucianea erit.

233. Et quamvis de editione quæ legebatur in Exaplis, explicitis quoque verbis dixerit eſſe incorruptam, & immaculatam; *Ea autem quæ habetur in Exaplis, & quam nos vertimus ipſa eſt quæ in eruditorum libris incorrupta, & immaculata Septuaginta Interpretum translatio reſervatur. Quid quid ergo ab hac diſcrepat nulli dubium eſt, quin ita & ab Hebræorum auctoritate diſcordet*; nolim tamen putes, adeo aſſeruiſſe incorruptam, ut & iſta quoque non ſpiraret ſua vitia: quinimmo ſatis ſuperque, & repetitis vicibus accuſat ut quæ translatione Theodotionis mixta erat; obidque eundem Origenem, qui hujus mixturæ auctor fuit, interdum reprehendit; *Et certe*, inquit, *Origenes* (*c*) *non ſolùm exempla conpoſuit quatuor editionum; ... ſed quod majoris audaciæ eſt, in editione Septuaginta Theodotionis editionem*

(a) *Epiſt.* cxxxv. *Tom. III. p. 746. B.* [b] *loc. cit. ſub littera D.*
[c] *Præfat. I. in Paralip.* [d] *Epiſtola* LXXXIX. *ad Auguſt. Tom. II. p. 636. E.*

nem miscuit. Idipsum affirmare intendit, quum (*a*) miratur Augustinum, quia sequebatur Septuaginta Interpretum libros non puros, sed ab Origene emendatos, sive mixtos erroribus Theodotionis hominis Judæi, atque blasphemi; & versionem suam, quæ Christiani erat, renuebat adoptare. Præterea ex testimoniis ejusdem nuper exaratis quisque eruit, nullam tunc temporis circumferri versionem Septuaginta quæ erroribus non abundaret: *Si Septuaginta interpretum pura*, &c. (*b*)

234. Haud ignoro nonnullos, hanc ob caussam existimasse, quod contraria Scripserit; ut qui modo affirmavit, editionem Septuaginta in Exaplis incorruptam esse & immaculatam, modo puram non esse neque germanam; *Utrumque tamen*, *scite respondet Pagius*, (*c*) *verissimum est*, *modo intelligatur*, *sicut intelligi debet*. Nam editio Septuaginta in Exaplis censebatur quidem immaculata & pura, in quantum in ea accurate distincta conspiciebantur, mediantibus obelorum & asteriscorum notis, quæ a Septuaginta Interpretibus Spiritus Sancti auctoritate addita, quæque ab iisdem, ne margaritas porcis darent, omissa; revera tamen corrupta erat, quia multa complectebatur ex versione Theodotionis infensissimi, Christiani nominis. Nonnullis, re non pensiculatius discussa, arrisit scribere, Hieronymum præfatis in locis (*d*) iniquiorem fuisse adversus Originem, qui quod bono consilio fecerat Origenes; tam acerbe reprehendit, *quique* idcirco asteriscos addidit, in singulis locis versionis Septuaginta, ad designanda, nimirum, ea quæ ex Theodotione assumpsit; at dicas amabo te: nonne Origenes in VI. columna Exaplorum collocarat versionem Theodotionis? nullum igitur habebat opus describendi eandem quoad aliquas partes in V. columna, ubi scilicet exarata repetiebatur versio

(a) *Epistola* LXXXIX. *ad August. Tom. II. p.* 636. *E.*
(b) *Vid. n.* 121. (c) *Apud. Baron. ad an.* 231. *n.* VI. *Tom. II. p.* 488. *col.* 1. (d) *Præfat.* 1. *in Paralip. & Epist. ad August.*

fio Septuaginta; quum ergo fine ulla neceffitate, immo cum proximo damnificandi periculo Ecclefiæ Dei, in quinta columna defcripfit nonnulla Theodotionis commenta, id fane Hieronymo juftæ cauffe fuit carpendi Originem. Dixi cum proximo damnificandi periculo, quia Lectores fi erant de fimplicibus, plane, pro vera lectione Septuaginta feniorum ricipiebant omnia, quæ in quinta columna difcripta erant: & Lectores eruditi, licet prefidio afterifcorum bene diftinguerent, quæ ex Theodotione Origenes affumpfit; videntes tamen eadem ab Origene pofita in columna verfionis Septuaginta, id eis claro erat indicio coniiciendi, idcirco ab Origene fuiffe in ea columna repetita, quia exiftimavit pertinere ad veram germanamque verfionem Septuaginta. Quo fane arbitror perfpicuum fieri, quod nec editio Septuaginta Exaplorum immaculata erat, nec Origenes ab omni culpa vacuus, nec adverfus iftum Hieronymus vel per fomnium iniquior fuit, neque tandem fibi inconftans, quum editionem Septuaginta, quæ habebatur in Exaplis, modo incorruptam & immaculatam declaravit, modo corruptam & non germanam.

235. Dices tametfi editio Septuaginta quæ legebatur in Exaplis complectebatur nonnulla Theodotionis, hæc tamen fuerunt ablata, & minime transfufa in aliis exemplaribus; haud igitur ex vitiis verfionis Septuaginta Exaplorum eruitur verfionem fixtinam Septuaginta corruptelis fcatere, quum enim illa Thodotionis fragmenta fuiffent afterifcis fignata facili negotio fuit cuique religiofo, eruditoque amanuenfi in fuo codice omittere. Quod probe indicavit Waltonus (a) *Si quis*, inquit, *dicat omnia illa exemplaria vetufta Vulgatam tantùm editionem referre, non puram ... maxime abfurdum effe hoc effugium, & ab omni ratione alienum. Supponit enim omnes qui codices fuos emendare, & corrigere defiderabant, neglecta pura & fincera editione quam ipfi pro tali habebant, quæque ad manum*

(a) *Proleg.* IX. §. 48. *p.* 343. *col.* 1.

num erat, impuram secutos esse , & seipsos Ecclesiasque misere per summam stultitiam decepisse; verùm id unum mihi compertum est, quod Augustinus tametsi unus ex primoribus Ecclesiæ Patribus, & duobus fere seculis post Origenem , non quidem utebatur editione pura , quia revera nulla talis extabat , sed vitiata , & corrupta . *Et miror* , audi Hieronymum ita Augustinum alloquentem. (*a*) *quo modo Septuaginta interpretum libros legas non puros, ut ab eis editi sunt, sed ab Origene emendatos ... vis amator esse verus Septuaginta interpretum? non legas ea, quæ sub asteriscis sunt, immo rade de voluminibus: ut veterum te fautorem probes, quod si feceris, omnes Ecclesiarum Bibliothecas damnare cogeris, vix enim unus aut alter invenitur liber, qui ista non habeat.* Waltonus itaque suique fautores tenentur firmis momentis probare editionem Sixtinam, esse illum unum vel alterum codicem, qui fragmenta Theodotionis non complectebatur; sed antequam id probent, velim recordentur corruptelarum, de quibus eandem Sixtinam nuper evicimus: relinquere sensum, est tritum effatum & querere rationem, infirmitas est intellectus.

236. Caussaberis quia Hieronymus de facto versionem Septuaginta, quæ in Exaplis legebatur, perpolivit ab erroribus Theodotionis ; at in primis nos loquimur de editionibus Græcis, & Hieronymus non Græco, sed Latino sermone emendata reddidit præfatam versionem. Præterea hujusmodi versio Latina Hieronymi ex Græco tam magni nominis non est, quominus non valeamus asserere , saltem aliquibus corruptelis eam fuisse obnoxiam ; quoniam in juventutis flore hoc opus aggressus fuit, & aliunde ab Ecclesis adoptatam non legimus. Tandem quæ ex Hebræo supplevit in sua nova versione, indubium videtur , non posuisse in sua priori versione Latina , quum

(a) *Epist.* LXXXIX. *Tom. II. p. 636. E.*

quum & nec erant in versione Septuaginta Exaplorum, & nec Hieronymus juvenis, Hebraicæ ad plenum peritus erat; consequenter multa ad veram Scripturam pertinentia, nec in Hieronymiana versione ex Græco legebantur. Restat itaque versionem Septuaginta Sixtinam sive Lucianea sit, sive Origeniana Exaplorum, corruptelis scatere.

237. *Quarto* Contra Theologos qui adversæ sententiæ adstipulantur. Discordantiæ quæ inter hodiernam versionem Septuaginta, & Vulgatam Clementis versantur, tanti profecto sunt, ut nullimode integritas, & authentia Vulgatæ Clementis subsistere queat cum integritate, & authentia versionis Septuaginta, sed necessariò vel una, aut altera corrupta censenda est, atque vitiis referta: nequeunt certe, ut post Hieronymum Waltonus quoque bene novit, duo Textus ad invicem discrepantes ambo esse integri, sed alteruter necessariò integritatis expers; at quisque Theologus tenetur parere Decreto Concilii Tridentini anathematizantis eos, qui libros integros cum omnibus suis partibus, in Vulgata contentis, non susceperint pro sacris & canonicis: *Si quis* (*a*) *autem*, *libros ipsos integros cum omnibus suis partibus*, *prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt*, *& in veteri Vulgata Latina editione habentur*, *pro sacris*, *& canonicis non susceperit*;... *sciens & prudens contempserit*; *anathema sit*. Nota *cum omnibus suis partibus*, illa peto, (quæ certe conficiunt aliquam Scripturæ partem, & in quibus Vulgata discrepat ab hodierna versione Septuaginta) sunt ne sacra, & canonica, vel non? si primum, ergo Vulgata quoad eadem nec sacra est neque canonica, quod concedendo plane anathematis foveæ occurres. Si secundum ergo, respectu eorum in quibus versio Septuaginta Sixtina discrepat a Vulgata, depravata censenda est & vitiosa. (*b*)

238.

(a) *In Decreto de Canon. Script. Sess. IV. p.* 9. (b) *Videsis n.* 167. *&* 174.

238. Dices Concilium tantùm in rebus fidei & morum authenticam declaravit Vulgatam; ſed præter dicta alibi (*a*) & fuſius dicenda in ſequentibus Demonſtrationibus, id unum breviter innuo. Hoc eſſe præcipuum Heterodoxorum cavillum, quo contendunt omnia argumenta Catholicorum in favorem Vulgatæ Clementis eludere, quàm fideliſſime ſuorum procerum prementes veſtigia, nimirum, Capelli, Sixtini Amama, Bochardi, Ludovici de Dieu, Danielis Heinſii, quorum aliorumque ſuffragio capit delectationem Waltonus (*b*). Haud inficior Sixtum Senenſem (primitus Franciſcanæ Familiæ, poſtmodum inclyti Ordinis Predicatorum) Canum, Salmeronem, Bellarminum, alioſque Theologos primi ſubſellii hoc ipſum aſſeruiſſe; ſed opus eſt diſtinguamus tempora ſi cordi eſt concordare jura. Hujuſmodi Theologi ſcribebant ante editionem Vulgatæ Clementis, proindeque loquebantur de ea Vulgata, quæ tunc pluribus quidèm ſcatebat mendis typographorum oſcitantia, aut petulantia ingeniolorum irreptis; non autem de Vulgata vetere, ut a Hieronymo in conſummatione edita, quamque Concilium Tridentinum probavit, & Romana Sedes ſub Pontificibus Sixto V. & Clemente VIII. a prædictis mendis perpolivit: ideoque hiſce noſtris temporibus, puta poſt editionem Clementis, rancida evaſit præfata Theologorum propoſitio; ſicut & hæc alia, Vulgata nonnulla complectitur menda corrigenda ad fidem fontium, adhibitis regulis ſacræ critices.

239. Addam & alterum: Annon correctoribus Romanis longe melius, atque hodiernis criticis perſpectæ fuere tot lectiones in quibus Vulgata diſcrepat ab hodiernis fontibus, & verſione Septuaginta? itaque ſi hoc non obſtante optimum eis viſum fuit conſilium, accedente ſtudio & conſenſu Sixti V. & poſtea Clementis eas non ado-

(a) *N. 76. & 100.* (b) *Proleg. VI. §. 2. & ſeqq. a p.* 271.

adoptare, quid amplius expetimus atque cunctamur? forte hodierni critici peritiores sunt Romanis Correctoribus? forte exemplaria tum cusa tum MS., quæ adsunt ipsis, vetustiora & magis pura sunt eis quibus Romana Sedes selectissimos Correctores ditavit? forte non Romanis Pontificibus, sed ipsis insidet privilegium intelligendi, & interpretandi scripturas? haud igitur (ut unde exivi redeam), infirmis rationibus constat, hodiernam versionem Septuaginta tamquam corruptam censendam esse, ubi a Vulgata Latina discordat. Dixi *innuo* quia de hisce omnibus, Deo bene juvante, fusior sermo redibit.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

240. In primis monitum esse volo, ea in præsenti paragrapho percensere quæ peculiariter huc spectant, & maxime quum ex superius enucleatis necnon sedulò perpensis, arbitror, cuique quid cæteris objectis reponendum veniat, innotescere. Interdum objectatur Judæos nec voluisse, nec potuisse constuprare omnes codices versionis Septuaginta; sed vicem reddes ad memoriam revocando ea de quibus habetur sermo num. 138. & seqq. Si ex corruptione hujus versionis circa initium secundi seculi, contenditur eruere, Orientalem Ecclesiam ex eo tempore integritatem Scripturarum amisisse, memento doctrinæ traditæ num. 120. & seqq., ac servata proportione adaptabis. Si quod Græca Ecclesia etiamnum Scriptura Veteris Testamenti careret, repetes dicta num. 174. & seqq. Et tandem objectanti, sententiam nostram adversari Providentiæ Divinæ, & Ecclesiæ fidelitati, repones consignata num. 146.

241. Objicies I. cum Waltono (a) *Hæc versio publice*

Oo *in*

(a) *Proleg. IX.* §. 37. *p.* 337. *col.* 1.

in Synagogis, & privatim a plerisque lecta, & recepta fuit per tria fere secula ante Christum, & post Christum ad tempora post Talmudica scilicet post Justiniani tempora . . . . . Eandem verò fuisse versionem cum nostra hodierna . . . . . ostendi potest ex Scriptoribus Judaicis fide dignioribus, qui Scripturæ testimonia in scriptis suis ex versione Septuaginta sui temporis citant, quæ cum hodierna Græca exacte congruunt. Hoc de Josepho & Philone apud omnes constat.

Respondetur. Minime imus inficias versionem Septuaginta usu habitam adusque, & post Justiniani tempora, qui jus dixit circa ann. 530. sub cujus imperio emersit litigium illud inter Judæos, quorum alii pro publica lectione Septuaginta, alii Textus Hebraici acriter contendentes, Justiniano fuit consilio litem dirimere hisce verbis: (*a*) *Quia ergo didicimus, ipsos inter se habere controversiam, non sustinuimus cum tumultum relinquere ipsis incompositum: siquidem per interpellationes quæ ad nos deferuntur, didicimus, quod ex ipsis quidam sola lingua tenentur Hebraica, eaque utendum in sacrorum lectione librorum volunt: quidam etiam Græcam assumendam contendunt; & longo jam tempore seditiones inter se agitant. Nos igitur in hac controversia edocti, meliores esse judicamus eos, qui Græcam etiam linguam in sacrorum librorum lectione voluerunt assumere*. Et infra: *enim verò qui linguam Græcam legunt, utuntur interpretatione Septuaginta, quæ omnibus exactior est, & inter cæteras multa continet occulta*. At quod nostra refert in præsentia est, utrum adusque Justiniani tempora talis versio, ut a Senioribus edita pura & integra, ita perseverarit, quod ex dictis plane contrarium evincitur; quoniam post passionem Domini Judæi cæperunt odio habere, & circa initium secundi Seculi suis commentis conspurcare (*b*). Neque sufficien-

(a) *Constitutione* 146. *penes Salmeron. Proleg. V. p.* 49. *col.* 1.
(b) *V. N.* 118.

ficienter probatur versionem, qua utebantur Philo & Joseph, eandem fuisse cum hodierna, ex quo testimonia, ab istis ex Septuaginta deprompta, congruunt cum ea quam hodie habemus; quia si otium suppeteret, in multis fortasse præfatam Waltonianam assertionem de falsitate evinceremus. Deinde ea nobis, hac in re, mens non est tueri opinionem quorundam dicentium: adeo versionem talem fuisse corruptam, ut ejus vestigium non appareat, & ab illa quam ediderunt Seniores sit omnino alia; quos adversus meritò Waltonus urget, sed in eam solummodo sententiam descendimus, qua probati DD. tenent, pleraque vitia in illa reperiri propter quæ absolute corrupta censenda sit, & ei non fidendum ubi a Vulgata discordat. Qua de caussa, licet non fuerit violata iis in locis, imo & multò pluribus, quæ Philo, & Joseph ex Septuaginta laudant, argumento tamen non est, universim, & quoad omnia hodie inviolatam, eandem extare.

242. Hac pari methodo occurrimus aliis Waltonianis nugis: *Probatur*, pergit paragrapho sequenti, *ex locis Veteris Testamenti, quæ ab Apostolis, & Evangelistis proferuntur plerumque ex Septuaginta etiam quum Septuaginta & Textus Hebraicus non videntur convenire*. At quid istud ad nos? Apostolorum temporibus, pluries diximus, tam Hebræum, quàm versionem Septuaginta pristina integritate & puritate gaudere (*a*) anne ex quo tunc limpide ista fluebant valido argumento erit, & quoque hodie eandem puritatem spirare? *Cum ita subdit, in codicibus hodiernis Septuaginta reperiuntur testimonia, prout illi citarunt, argumentum invictum præbent pro veritate & sinceritate nostrorum codicum*. Etiam, si id intelligatur de hodierna versione quoad pleraque, imo permulta loca; si verò sermo sit de omnibus, & singulis lectionibus, quas hodierni codices exhibent ore rotundo inficiamur;

(a) *V. N.* 117.

mur : sæpe tyrones Dialectici in nos recordantur ; ex rebus particularibus non erui consecutionem universalem. *Eandem*, replicat (a) *fuisse cum hac nostra unicuique plane constabit, si quis editionem Venetam, & quæ ex ea expresse sunt, maxime verò Romanam, vel nostram Alexandrinam, cum veterum scriptis confert. Commentarios ediderunt Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, & Procopius . . . . . Jam si quis horum commentarios cum editionibus prædictis confert, experietur in locis quæ primò occurrunt, & statim deprehendet Textum Græcum hodiernum eundem esse cum eo quem antiqui illi scriptores ubique illustrarunt.* Mira certe Waltoni dicendi ratio dum de eo penitus argumento gloriatur, quo nos conamur ipsum confodere. Ubi ne apud citatos veteres laudantur ea exundantia loca versionis Septuaginta quæ taxavimus supra (b)? Satius profecto si scripsisset. *Jam si quis horum Commentarios* cum Vulgata vetere, quam Clemens VIII. fidelibus legendam proposuit *confert, experietur in locis quæ primo occurrunt, & statim deprehendet*, Vulgatam Latinam hodiernam eandem esse cum ea Scriptura *quam antiqui isti Scriptores ubique illustrarunt*; quia sic, dicendæ veritatis honorem sibi assumpsisset, sicut etiam concinendi iis, quæ in Præfatione Vulgatæ Clementis habentur: *Porro qui secuti sunt Viri doctissimi, Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Damiani, Ricchardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, cæterique omnes, qui his nongentis annis in Ecclesia floruerunt, Sancti Hieronymi versione ita sunt usi, ut cæteræ, quæ pene innumerabiles erant, quasi lapsæ de manibus Theologorum, penitus obsoleverint.*

243. Objic. II. cum eodem (c) *Licet in multis discrepet versio Græca ab Hebræo; hoc discrimen tamen esse in rebus parvi momenti*; & infra : *Discrepantiæ multæ ortæ sunt*

(a) §. 40. p. 338. col. 2. (b) N. 230. (c) §. 46. p. 341. col. 2.

sunt ex scribarum mercede, conductorum incuria, & festinatione; qui ut citius pensum absolverent mendas plurimas reliquerunt; . . . . aliæ etiam ex audacia, & temeritate sciolorum, qui sub specie corrigendi, Textum corruperunt; aliæ ex glossematis in margine ex aliis exemplaribus notatis, quæ in Textum postea migrarunt; . . . . aliæ ex interpretum lapsu.

Respondetur. Haud est opus, quæ ad priorem argumenti partem attinent, repetamus ad fastidium (*a*). Ad posteriorem propero: Libenter & ipse profiteor in omnibus codicibus biblicis scribarum oscitantia, & sciolorum temeritate aliqua menda irrepsisse; perperam tamen asseritur, nullam constuprationem, ibi ex malitia Judæorum, accidisse, ut ostendisse confido. Quod mihi autem, & cuique recte sentienti incredibile videtur, est, quod sola Scribarum oscitantia, sciolorum temeritas, temporum injuria, & consimilia, quæ per meram contingentiam eveniunt, potuerint esse caussa, ut in vetustissimis exemplaribus manuscriptis eadem omnino vitia, & iisdem penitus locis irrepserint? vitium ex alicujus amanuensis oscitantia, vel temeritate in exemplari aliquo relictum nuspiam reperitur in aliis exemplaribus, eodem in loco eodemque modo, nisi ista ex illo desumpta sint; hinc Augustinus rem istam perspectam habens, quum interdum concessit exemplaria versionis Septuaginta corrupta fuisse quoad numerationem annorum Patriarcharum, minime adjicere præteriit id accidisse vitio unius Scriptoris, qui de Bibliotheca Ptolomæi Versionem describendam accepit, unde postea errores istius in cæteris exemplaribus concorditer transierunt. Item quoniam Septuaginta Seniores in distinctis cellulis inclusi, summa rerum, verborumque germanitate Textum Hebræum Græce expresserunt, non sine miraculo id accidisse testantur Patres (*b*). Et tandem nonnisi summis curis atque vaferrima malitia Solon, Atheniensis valuit depra-

(a) *V. N.* 229. *& seqq.* (b) *V. N.* 198. *& seqq. &* 194.

depravare unum versiculum ex omnibus Homeri codicibus.

244. Objicies III. Temeritate (quidam inquit) non caret, qui asserit, versionem hodiernam Septuaginta vitiis, & erroribus scatere, maxime propter editionem Romanam sub Sixto V. ad fidem emendatissimorum codicum expolitam, & typis excusam; ubi Sixtus in suo rescripto post Præfationem præcipit *primò*, ut omnes eam editionem recipiant & teneant; *secundò*, ne quis deinceps diminutionibus, vel additionibus quicquam ex ea immutare audeat; quorsum ista si ea versio vitiis & erroribus scateret? annon perinde atque iniqua lege Pontifex fideles coegisset ad adoptandam, & tutandam vitiosam Scripturam? Quo quid ineptius neminem latet.

Respond. Scopum Sixti eò duntaxat tendisse, ut Ecclesia ea versione Septuaginta, quam perpolivit, ditaretur quæ exactior foret, & minus corrupta cæteris Græcis Bibliorum exemplaribus, aliquot superioribus seculis editis, quæque in Aldinis, Basileensibus editionibus, necnon Complutensibus, Regiisque Bibliis extant; non verò ei animo fuit fidelibus hanc versionem proponere uti puram, sinceram, & ab omni corruptela penitus immunem. Ut verò ne de novitate doctrinæ me quis valeat criminari, opere pretium duco, nonnulla suppeditare. In eodem Diplomate Sixti V. asseritur: in illo exemplari Vaticano *si minus menda, certe suspicione mendi non carere*: hinc Serarius (*a*) *Dicendum tamen hanc editionem valde quidem egregiam, multoque correctiorem ac puriorem.... nondum tamen esse omnino puram, sinceram, & incorruptam*; Serario consentit noster Frassen (*b*) Et novissime Antonius Casinus, (*c*) *Pontificia Diplomata ibi præfixa ejusmodi sunt, ut has editiones supra cæteras ejusdem generis efferant : non ut* La-

(a) *In Proleg. Cap.* XVII. *Quæstiunc.* XXI. *p.* 94. *col.* 1.
(b) *Disquis. Bibl. Lib. II. Cap. III.* §. IX. *p.* 269.
(c) *In Encycloped. Proleg. I. Dispút.* IV. *p.* 30. *col.* 1.

Latinæ Vulgatæ pares faciant. Quod earum præfationes aperte declarant. Eò totus hic Pontificis labor, & cura pertinuit, ut Septuaginta interpretum versio, quæ de Christi Ecclesia est adeo benemerita, ab ipsa nec repudiata, nec prorsus relicta, non verò etiam ut in integrum restituta videretur; atqueita excessui, ac fructui haud exactæ pietatis tribuo dicta præfati eruditi, quem aliunde convincere possemus argumento exarato num. 237.

245. Obiicies ultimo. Tametsi permultæ sint discrepantiæ inter versionem Septuaginta & Hebræum, cui potissimùm Vulgata correspondet, id tamen minime argumento est eruendi vel versionem Septuaginta, vel Hebræum cum Vulgata corruptelis scatere. *Nonnulli autem* auscultemus Augustinum (*a*) *codices Græcos interpretationis Septuaginta ex Hebræis codicibus emendandos putarunt: nec tamen ausi sunt detrahere, quod Hebræi non habebant, & Septuaginta posuerunt.* Et paulo infra hanc rationem suppeditat: *si igitur ut oportet nihil aliud intueamur in scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei spiritus, quidquid est in Hebræis codicibus, & non est apud interpretes Septuaginta, noluit ea per istos, sed per illos Prophetas Dei spiritus dicere. Quidquid verò est apud Septuaginta, in Hebræis autem codicibus non est, per istos ea maluit, quàm per illos, idem spiritus dicere. sic ostendes utrosque fuisse Prophetas. Isto enim modo alia per Isaiam, alia per Hieremiam, alia per alium, atque alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc ac per illum dixit, ut voluit;* Tandem Cap sequenti per totum, quæstione excitata, quid Jonas Propheta dixerit Ninivitis (*b*) *utrum Triduum, & Ninive evertetur* juxta septuaginta, *an Quadraginta dies*, ad fidem Hebræi? haud ex hujusmodi discrepantia eruit Hebræum, vel versionem esse corruptam, sed utriusque lectionem uti germanam recipit, & aquilina

(a) *Lib.* XVIII. *de Civit. Dei Cap.* XLIII. *Tom. VII. fol.* 525. *F.*
(b) *Jonæ III. vers.* 4.

na Interpretatione concordatis, ita fando concludit (a), *Longitudinem fugio, ut non hæc per multa demonstrem in quibus ab Hebraica veritate putantur Septuaginta interpretes discrepare, & bene intellecti inveniuntur esse concordes*. Hoc ipsum & olim alii Patres, Theologi, & nuper nostræ tempestatis Catholici eruditi, constanti semper ac laudabili labore conati sunt concordes reddere lectiones hodiernorum fontium, & versionis Septuaginta cum Vulgata Clementis, quæ primo adspectu repugnantes sese produnt.

246. *Respond*. I. Si ita, cur hodierni Critici adversus Vulgatam Clementis tot excitarunt tragœdias ubique clamantes: Post Sixti V. & Clementis VIII. editiones, errores multos adhuc emendandos superesse, eosque ipsius Interpretis? Ex laudatis Augustini verbis eruitur, neque fontes, neque versiones nimirum Græcam, & Latinam errores complecti, sed quod si bene intelligemus inveniemus concordare: Augustino igitur refragantur, quum Vulgatam Clementis erroribus obnoxiam declarant. Adde, etsi Augustinus eo florebat tempore, quo tot erant Scripturarum exemplaria quot codices, nuspiam tamen de ea scriptura qua tunc utebatur Romana Ecclesia scripsisse invenimus, quod hodierni Critici autumant de Vulgata consecrata in Concilio Tridentino, & summis curis, castigata a S. Sede. Utinam & Erasmus, Lutherus, cæterique Nebulones hanc non ingessissent fœdam scabiem Latinæ Ecclesiæ, Vulgatam de erroribus etiam Interpretis criminando, fontes verò, & versionem Septuaginta plus æquo efferentes: quoniam & nobis quoque cordi fuisset Augustini monito obtemperare; sicut per tot Secula ab Augustino adusque Erasmum probati viri de Romana communione fideliter adhæserunt. Igitur si in defensionem Vulgatæ Clementis, pro mea qualicumque tenuitate aliqua, contra integritatem hodiernorum fontium hodierne-

que

(a) *Loc. cit. col.* 527. *B.*

que versionis Septuaginta, scripsi, in Hæreticis culpa est; qui Catholicos provocarunt (a), non autem in Catholicis qui respondere compulsi sunt.

247. Respond. II. Quot sunt laudata Augustini verba, tot sane in ore illius pretiosi lapides, quoniam ut eximia abundabat pietate, & Hebraicæ peritia carebat (b) ita vix & rarò in suis magnis operibus de fontium & versionum integritate sermonem excitat, illud semper fixum cordi tenens: *Evangelio non crederem nisi me commoneret Ecclesiæ auctoritas*. Quum autem incidit eam in quæstionem, utrum Mathusalem mortuus sit sex annis ante diluvium, ut eruitur ex Hebræo, an verò quatuordecim annis post diluvium, juxta Septuaginta (c); & deprehenso non potuisse ad concordiam revocare, minime scribere dubitavit (d) *Quum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, unde est in alia per interpretes facta translatio* : Quibus eruitur, Augustinum quoque bene agnovisse nonnullas discrepantias inter fontes & versiones, quæ necessariò alterutrum de vitio convincunt.

248. Dices: Ubi ergo discrepantias hujus generis comperiemus, ibi juxta hancce Augustini regulam fontibus & non Vulgatæ Clementis fides nostra alliganda erit, sicque frustranea evadit suscepta prima Demonstratio. Exactum hujus rei scrutinium in secundo Tomo, quem cito Divini Numinis favore proditurum spero, si modò compendinari aut postergari non contingat: nunc autem satis habeo exscribere responsionem Clarissimi Salmeronis ad consimile objectum (e) *Respondemus: quod ut illo seculo quo scribebat Augustinus id erat necessarium facere; ubi opus erat ut modò etiam fit quia erant varii Lectionis Latinæ*

(a) *V. n.* 2. & 3. (b) *V. n.* 107. (c) *V. n.* 109. & *seqq.*
(d) *Lib.* XV. *de Civ. dei Cap.* XIII. *Tom. VII. col.* 394. *B.*
(e) *Proleg.* IV. *p.* 41. *col.* 1.

tinæ codices, ut ita inveniretur lectio castigatissima, ita jam, ubi una tantùm Latina est translatio, quæ tot seculis per omnes Occidentis obtinet Ecclesias, non est necessarium facere, quia de hujus sensu vel obscuro, vel ambiguo certius eruendo, etsi sint Græci, & Hebræi codices consulendi, non tamen ut incorrupti, & omni menda, & vitio carentes. Nec velim caufferis propter verba, *ut modò etiam sit*, & hæc alia, *etsi sint Græci, & Hebræi codices consulendi*, quoniam Salmeron scribebat tempore quo Romana sedes studebat emendationi Vulgatæ, & plusquam septem annis ante editionem Bibliæ Clementis. Hodie autem (ut argumento Augustini, & primo tomo finem imponamus) *si aliquando contingeret*, sedulò pende hujusmodi verba P. Dominici Gravina Urbano VIII. acceptissimi: (a) *ut alia sit lectio vulgatæ alia Græcorum, & Hebræorum codicum, si tantummodo diversæ sint, nec sibi contradicant, & conciliari possunt, utraque lectio recipienda est. Semper tamen interpretatio ab Ecclesia jam approbata in vulgata præferenda est, quæ Hebraicæ veritati, & Grecæ, per omnia correspondet, in sua tamen puritate descriptis; .. ac subinde juxta hanc vulgatam* subaudi Clementis VIII. *interpretationem postea catholico sensu explicanda. Si verò ad invicem sibi adversentur, sicut affirmatio, & negatio reconciliari nequeunt, PRÆFERENDA EST LATINA VULGATA GRÆCAE, ET HEBRÆÆ, SICUT PREFERTUR RIVUS PURUS CÆNOSO FONTI.*

FINIS.

Ad majorem S. R. Ecclesiæ Gloriam.

IN-

(a) *Cathol. Præscript. Controv. de Editione Lat. art.* VIII. *p.* 379. *col.* 2.

INDEX

VERBORUM RERUMQUE PRÆCIPUARUM AD NORMAM PAGINARUM.

A

B

Cal-

C

D

E

F

G

sta-

I

L

M

N

Pa-

R

S

Ver

V

F I N I S.

ERRATA. CORRIGE

pag. 8. lin. 4.	plagiario	plagio
p. 32. l. 13.	diſtinecte	diſtricte
— l. 35.	Baltaſarum	Balthaſſarum
p. 86 l. 12	de cipulis	deſcipulis
p. 87 l. 2	Æmulum	æmulum
p. 110 l. 11	opinionem	optionem
p. 114 l. 1	adfingit	adfingit
p. 120 l. 7	rectæ	recta
p. 126 l. 21	irrepas	irreptas
p. 129 l. 29	fuſe	*dele*
p. 131 l. 5	adiicient	adiiciant
p. 132 l. 19	auctographis	Autographis
— l. 30	Marius	Marianus
p. 139 l. 25	fugum	fucum
p. 143 l. 27	conceſſerunt	congeſſerunt
— l. 30	adoptantes	adoptantes?
p. 145 l. 3	quia	quin
p. 152 l. 24	omnia	omnium
p. 153 l. 4	violatos, fuiſſe	violatos fuiſſe
— l. 6	medulla	medullam
— l. 7	Scripturam	Scripturarum
— l. 21	ſollemnes	ſolemnes
p. 159 l. 19	caput	captu
p. 160 l. 21	credut	credat
p. 168 l. 35	llcet	licet
p. 183 l. 30	vulnis	ulnis
p. 185 l. 15	Omeri	Homeri
p. 187. l. 25	*ſupple*	ſi
p. 196 l. 26	provinvia	provincia
p. 190 l. 4	Naſſchu bar	Naſceku-bar
p. 197 l. 2	paralellarum	parallelarum
p. 215 l. 15	finem	fidem
— l. 19	deſcripſimos.	deſcripſimus
p. 222 l. 7	Epiphani	Epiphanii
p. 223 l. 6	voluit	valuit
— l. 11	ſpirarent	ſpirantes
p. 234 l. 26	Banaje filii Jojade	Banajæ filii Jojadæ
p. 232 l. 4. 7	Hecatæus	Hecathæus
p. 235 l. 3	genitos	genitus
— l. 25	niſe	nixi
p. 237 l. 3	pombæ	pompæ
p. 243 l. 35	auctoritatim	auctoritate
p. 245 l. 5	ſtrepito	ſtrepitu
p. 246 l. 31	aſſeveraſſent?	aſſeveraſſent.
p. 255 l. 28	Chriſticorum	Chriſtianorum

p. 237

ERRATA		CORRIGE
p. 256 l. 14	verticinoſos	vertiginoſos
p. 257 l. 21	Gomorræ	Gomorrhæ
p. 260 l. 6	diſcuſſam	diſcuſſa
p. 264 l. 22	Bibliotheca	in Bibliotheca
— l. 35	dimitendi	dimittendi
p. 267 l. 29	anathematæ	anathemate
p. 269 l. 4	Quintum	Quintam
p. 272 l. 26	in	*dele*
p. 274 l. 25	transferre	transferrem
p. 280 l. 14	veſione	verſione
p. 285 l. 8	preſidio	præſidio
p. 293 l. 35.	Solon, Athenienſis	Solon Athenienſis.